THESES
THEOLOGICO-POLEMICO-CRITICÆ

QUAS

D. ARNALDUS SONZONIUS MEDIOLANENSIS

SACRI CISTERCIENSIS ORDINIS MONACHUS, ET IN COLLEGIO S. CRUCIS
IN JERUSALEM DE URBE THEOLOGIÆ AUDITOR

PUBLICE DEFENDENDAS PROPONIT

ASSISTENTIBUS

Admodum RR. PP. D.

HILARIONE NAVA

ET D.

ANGELO FUMAGALLI

In eodem Collegio Sacræ Theologiæ Lectoribus.



ROMÆ CIↃIↃCCLXVI.
EX TYPOGRAPHIA CAROLI BARBIELLINI

PRÆSIDUM FACULTATE.



Ex Sacra Scriptura.

I. PLURES antiqua, plures itidem nostra hæc ætas tulit, eosque impios, ac perditæ conscientiæ viros, qui sola naturali ratione suffulti, eaque singula dimetientes, Divinam revelationem omnem prorsus eliminarunt. Perverso huic, ac pernicioso errori, ex quò infiniti ferme alii, veluti ex eorum radice pullulant errores, totis nisibus occurrimus, ostendentes solam naturalem Religionem sufficere haud posse, sed Divinam aliquam revelationem necessariam insuper fore, quæ in iis, quæ Dei sunt, nos instruat, dirigatque ad finem illum, quem Deus ipse nobis constituit, assequendum.

II. Hæc porro Divina revelatio in Sacra Scriptura præsertim continetur, cujus nomine nihil aliud venit, nisi ipsum Verbum Dei scriptum; quod proinde revera existere, Divinæque auctoritatis esse profitemur, illudque iis in Libris contineri asserimus, quos Sacræ Scripturæ nomine insignitos Fidelibus suis Catholica proponit Ecclesia. Libros hosce tanta animi devotione suscipimus, ut ne dum res, & sententias in iis contentas peculiari Spiritus Sancti afflatu, & assistentia ab eorum Scriptoribus credamus exaratas, quod Catholici omnes adversus Heterodoxos defendunt, verum etiam singula verba ab eodem spiritu dictata fuisse contra nonnullos Catholicos propugnemus.

III. Plures sunt Scripturæ Sacræ Libri, quorum alii ad Vetus, ad Novum alii pertinent Testamentum; de quorum propterea numero, & auctoritate, ne qua dubitandi, errandive subesse posset occasio, certum Canonem edendum curavit Ecclesia, quo Libris Divinis tantum exhibitis, Pseudo-Canonici a Canonicis secernerentur. Singulorum hic Auctorem, ætatemque, qua scripti sunt, & canonicam eorum auctoritatem, quod res longioris sit indaginis, expendere non vacat. Ex omnibus itaque Pentateuchum seligimus, Epistolam ad Hebræos, & Apocalypsim, in quibus exerceamur. Circa Pentateuchum explodimus sicuti Obbesii, Peirerii, & Spinosæ opinationes, ita etiam Riccardi Simonii systema; Epistolam vero ad Hebræos Apostolo Paulo vindicamus, & Joanni Evangelistæ Apocalypseos librum. Circa reliquos Scripturæ Libros eum amplectimur, ac tuemur Canonem, quem post accuratum examen Tridentina Synodus sess. 4. cap. 1. determinavit.

IV. Hebræorum Canon nec plures, nec pauciores quam viginti duos complectitur Libros. Canonem hunc, qui unicus fuit ante Christi tempora, Esdras condidit; non eo tamen sensu ipse condidit, quod Sacros Libros, vel in excidio Hierosolymitano a Chaldæis penitus incensos, vel

vel in Babylonica captivitate deperditos, Spiritu Sancto dictante de novo conscripserit, ut aliqui comminiscuntur; sed quod eos unice collegerit dissipatos, atque in certum ordinem disposuerit, castigatis iis codicibus, in quos vitium aliquod, mendumque irrepserat.

V. Illud veluti certum habemus Libros Veteris Testamenti, qui in antiquo Judæorum Canone exhibentur, Hebraica lingua scriptos primum fuisse, uno Daniele excepto. Ex Libris vero, quos Ecclesia Christiana addidit Judæorum Canoni, quosdam Hebraico, alios Chaldaico, nonnullos demum Græco idiomate fuisse exaratos, tamquam certum pariter habemus. Ad Libros autem Novi Testamenti, quod spectat, si unum, vel alterum excipias, eos fuisse Grecè descriptos asserimus. Porro textus Hebræus Librorum Veteris Testamenti numquam a Judæis de industria mutilatus fuit, vel corruptus in iis, quem Fidem respiciunt, vel mores. Fatendum est tamen hujus textus puritatem successu temporis, ex quibusdam, quæ in illum irrepserunt, erratis & mendis, levioribus licet, nonnihil vitii contraxisse.

VI. Ex pluribus, quæ temporum decursu prodierunt Sacræ Scripturæ, versionibus Græca, celeberrima fuit, & inter ceteras principem obtinuit locum. Versionem hanc a septuaginta duobus Judæis editam fuisse defendimus, ad Ptolomæum Philadelphum, ejus conficiendæ causa missis ab Eleazaro Summo Sacerdote, ut refert Aristeas, qui totam hujus Versionis historiam luculenter descripsit. Hanc quidem nonnulli ex recentioribus Criticis inter Judæorum fabulas & somnia amandant, illius vero Auctorem tamquam supposititium traducunt. Ex eorum tamen argumentis, si quid sapimus, illud tantum evinci posse putamus, Aristeæ libellum quibusdam in locis falsatum fuisse: quod valde probabile est; non autem quoad substantiam supposititium esse, vel ex integro ab Impostore aliquo confictum. Narratio itaque de versione septuaginta Interpretum, quam Aristeas tradit, ut vera quoad substantiam habenda est.

VII. Inter ea, quæ Aristeæ libello aliena manu assuta fortasse fuere, connumerari illud potest, sive quod de singulis Cellulis refertur, in quibus adornandæ versioni Interpretes illi separatim incubuerint, sive quod fuerint vates: qua ii prærogativa ibidem insigniuntur. Utrumque enim cum Hieronymo jure denegari potest. Eos tamen non Pentateuchum solum, ut nonnullis placet, sed omnes veteris Testamenti Libros, qui in Hebræorum Canone tunc erant, vertisse arbitramur. Hæc autem versio, utpote Apostolorum usu consecrata, & communi Patrum laudata suffragio, prioribus Ecclesiæ sæculis eam obtinuit auctoritatem, ut tamquam Sacra, & Canonica ab omnibus passim reciperetur.

VIII. At inter Latinas versiones illa potissimum excelluit olim, quam Augustinus Italam, Hieronymus Vulgatam, Gregorius Magnus Veterem appellarunt. Nostra tamen ætate sola Vulgata Latina authentica est, & Fidei, morumque regula certissima, quod a Tridentina Synodo sess. 4. definitum fuit.

IX. Insano prorsus aguntur furore Heterodoxi, dum conviciis, & dicteriis tum Vulgatam, cum Ecclesiam impetere non verentur, illam corruptionis, hanc tyrannidis calumniantes. Quæ enim obtinet modo vulgata versio, longo sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, ut inquit Tridentinum Concilium; quod tamen, quum pro Authentica hanc esse habendam decernit, quidquam propterea detractum voluit sive de Hebræorum, sive de Græcorum Codicum auctoritate: sed illud unice declarat nihil quod Fidei, ac Religioni contrarium sit, in Vulgata nostra contineri: proindeque eam ad dirimendas Fidei, morumve controversias regulam esse tutissimam.

X. Scriptura Sacra, licet in aliquibus clara sit, & perspicua, in pluribus tamen est obscura. Quare ridendi potius, quam confutandi videntur Protestantes, dum eam intellectu ubique facilem, omnibus claram, & perviam esse temere effutiunt. Cur in tanta, quam Scripturis attribuunt luce, & claritate eorum oculi tam sæpe caligant? quod tamen sibimet ipsis nonnumquam contingere, nolentes licet & inviti, fateri coguntur. Igitur Scriptura nequit se sola esse controversiarum Fidei Judex, multo minus spiritus privatus, aut Sæcularis Princeps; sed privilegium hocce soli reservatum est Ecclesiæ, cui Christus Dominus dedit ortas de rebus Fidei controversias supremo suo, ac infallibili judicio dirimere, ac terminare. DE

De Traditionibus.

I. TRaditionis nomine nil aliud venit, quam Doctrina sine Scriptura tradita: sine Scriptura, in quam, Divina, & Canonica, nam in SS. Patrum Operibus, & Conciliorum Actis Traditiones servantur. Traditio porro alia Divina est, quæ Deum, seu Christum habet Auctorem, humana altera, quæ ab hominibus derivat. Hæc rursus duplex est, Apostolica nempe, quæ suam ab Apostolis originem ducit, & Ecclesiastica, quæ initium sumit a Successoribus Apostolorum, qui similiter spectari possunt, vel ut Præcones eorum, quæ a Christo audierunt, vel ut Ecclesiæ Pastores aliquid propria auctoritate statuentes. Quæ priori tradiderunt modo, ea sunt Traditionis Divinæ, quæ altero, Traditionis censentur Apostolicæ.

II. Recentiores Hæretici, veterum Hæreticorum vestigiis inhærentes nullam prorsus esse Divinam Traditionem autumant, nullumque inde desumi posse pro Fide, & moribus infallibile argumentum. Ast a veritate longissime eos aberrare contendimus ostendentes dari Traditiones aliquas vere Divinas, quibus Fides, moresque firmiter fulciantur. Hujus generis Traditiones pari pietatis affectu, ac reverentia, qua Libros canonicos, suscipimus, ac veneramur.

III. Quando quidem Hæretici ad vim harum Traditionum elevandam passim, fidenterque jactitare solent veras a falsis, Divinas ab humanis secerni nullatenus posse; ut omnem idcirco cavillandi aditum eis præcludamus, multiplices statuimus regulas, easque certissimas, quarum ope veræ a falsis, Divinæ ab humanis rite distinguantur.

De Ecclesia.

I. VEra Christi Ecclesia in terris militans optime definitur, Societas, vel Cœtus hominum quorum una, & eadem est in Fide Christiana professio, & in Sacramentis communio, idemque sub legitimis Pastoribus, & sub uno præsertim supremo ac visibili capite Romano Pontifice regimen. Mox traditam definitionem immerito novitatis eo ex capite accusat Launojus, quod mentio in ipsa fiat subjectionis legitimis Pastoribus deferendæ.

II. Aliam, eamque a recensita prorsus diversam Ecclesiæ notionem sibi efformarunt veteres, recentioresque Acatholici, quorum aliqui illam vel congregationem esse hominum perfectorum, aut Justorum, ut olim Pelagiani, Novatiani, & Donatistæ, vel Societatem tantum Prædestinatorum, ut post Wiclephum, Calvinus, & alii statuerunt. Falsò tamen, & absurdè: cum Ecclesia, quam sub variis figuris vel agri, vel areæ, aut sagenæ Scriptura adumbrat, Justos, & Peccatores, Reprobos, & Electos, Perfectos & Imperfectos complecti evincatur.

III. In hac ipsa Ecclesia nullo modo locum habent Hæretici, qui tamen publici sint, & manifesti, secus vero ii, qui suum occultant errorem. Ab ea pariter excluduntur, quemadmodum vere Schismatici, ita etiam publice excommunicati, quos constat membra esse a Christi Corpore, quod est Ecclesia, penitus abscissa. Neque Novatorum aliter opinantium causam juvare potest excogitata a Jurio fundamentalium, & non fundamentalium Fidei articulorum distinctio, quæ merum est, putumque ipsius commentum Scripturæ, & veterum Patrum traditioni aperte contrarium.

IV. Et si vel ipsorum Novatorum consensu certæ quædam, notæ admitti debent, quarum ope vera Christi Ecclesia a quacumque alia hominum societate, quæ vel ipsam mentitur, vel aliquam cum ea habet similitudinem, tuto secerni queat; quas tamen assignant Novatores, merito improbant Catholici omnes. Doctrinæ quippe veritas, & legitimus Sacramentorum usus, ut ut a Christi Ecclesia inseparabiles, perperam tamen inter ejus dignoscendæ notas ab Hæreticis collocantur.

V. Veræ igitur Ecclesiæ notæ, quatuor illæ sunt, quæ a Symbolo Constantinopolitano recensentur his verbis. *Credo.., Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Hæ conjunctim sumptæ veram Christi Ecclesiam a quibuslibet Hæreticorum societatibus positive distinguunt; quælibet vero earum seorsim accepta, negative distinguit, sive sensibiliter demonstrant societatem illam, quæ aliqua ex recensitis notis destituatur, veram non esse Christi Ecclesiam. Soli autem Romanæ Ecclesiæ has notas competere, ille tantum negare potest, qui apertæ veritati refragari non veretur.

VI. Præter assignatas notas, tres etiam habet Ecclesia Insignes proprietates a Christo acceptas, ut videlicet visibilis semper sit, Indefectibilis, atque Infallibilis. Ecclesia igitur per Orbem universum diffusa, sive sumpta pro universitate Fidelium, sive pro universitate Pastorum, in rebus Fidei & morum, numquam nequidem grassantis Arianismi tempore erravit. sed nec errare umquam potest.

De Conciliis.

I. CONcilium, sive Synodus est Congregatio Præsulum Ecclesiæ, qui legitima auctoritate simul convenerint ad pertractandum de Ecclesiasticis, iisque gravioris momenti rebus cujusmodi sunt, quæ vel ad Fidem, vel ad mores, vel ad Disciplinam pertinent. Ex Conciliis autem aliud est Generale, aliud Nationale, aliud Provinciale, aliud denique Diœcesanum.

II. Conciliorum usus non in humano tantum jure fundatur, sed in Verbo Dei tum scripto, tum tradito. Quare audiendi non sunt, qui illorum institutionem & usum tamquam merum humanum inventum traducunt. Quamquam vero omnia Concilia, cujuscumque demum sint generis, maximæ esse utilitatis non inficiemur, ut suaviori quodam modo veritas suaderi Fidelibus possit; nulla tamen in genere, sed tantum in specie necessaria esse contendimus.

III. Jus Generalia convocandi Concilia soli competit Romano Pontifici; quapropter nisi ab ipso convocetur Concilium, vel ab alio de ejus consensu, & auctoritate, aut saltim nisi convocatio ab alio facta, rata ab eodem habeatur, illud Œcumenicum, seu Generale nec esse, nec haberi potest. Errant itaque Magdeburgenses, dum hoc jure Summum Pontificem spoliant, ut illud transferant in Imperatorem.

IV. Solius pariter Romani Pontificis jus est Œcumenico præsidendi Concilio, vel per se, vel per suos Legatos, quidquid in contrarium blaterent Lutherus, & Calvinus, contendentes hujuscemodi jus ad Imperatores pertinere. Hi sane, si quando præfuere Conciliis, præfuerunt tantum, quoad locum, ut ajunt, materialem, & concordiæ in iis servandæ causa, non vero quoad potestatem præscribendarum ibidem rerum, ferendive definitivi suffragii; quo jure ex institutione Divina donatur Summus Pontifex in primis, tum ceteri etiam, imo soli Episcopi: ex Ecclesiæ tamen privilegio hoc eodem jure gaudent etiam Cardinales, Abbates, & Generales Ordinum Regularium Præsules, licet Episcopali Ordine non insigniantur.

V. Concilia Generalia, quibus nullæ desint requisitæ a Catholicis conditiones, infallibilis sunt auctoritatis; unde desumptum ex eis pro Fide, vel moribus argumentum, ut certum habeatur necesse est. Ex harum conditionum defectu, Pisanum Concilium Anno 1409. celebratum ad tollendum Schisma Gregorium XII. inter, & Benedictum XIII. a numero Œcumenicorum Conciliorum expungi debet.

DE

De Romano Pontifice:

I. Quum ea, quæ Romano Pontifici competunt, jura, & privilegia, non aliunde ipse habeat, nisi quia legitimus est Petri Successor; præstat idcirco hujus Primatum, potestatemque prius determinare. Censemus itaque in primis Christum Dominum, ne dum honoris & dignitatis prærogativam, verum etiam potestatis, & jurisdictionis Primatum supra ceteros Apostolos contulisse Petro, eumque post se Vicarium, & totius Ecclesiæ supremum Caput, & Pastorem constituisse.

II. Postquam Antiochenam S. Petrus fundavit, rexitque ad tempus Ecclesiam, Romam profectus est, ubi suam constituit Sedem, in eaque Urbe Episcopatum tenens ad mortem usque permansit; quod non sine superni dispositione consilii contigisse putandum est. Nec quidquam veritati hujus ad Urbem adventus detrahunt, quæ a Novatoribus congeri solent: hæc enim a Nobis haud difficulter diluuntur.

III. Sed quo nam præcise Anno S. Petrus Romam primum advenit? Quidquid critici alii circa rem hanc opinentur, nostra sententia est Anno Imperii Claudii secundo, eum Romam venisse, ubi 25. annorum spatio sedem tenuit suam.

IV. Quum auctoritas, quam Petro contulit Christus, ita illi fuerit collata, ut non tantum in ipsius resideret, desineretque persona, sed post ejus mortem adhuc perduraret ad Successores suos transmittenda; quumque Romani Pontifices, legitimi sint S. Petri in juribus & privilegiis Successores, recta inde sequitur eos nedum honoris, & dignitatis, verum etiam potestatis, & jurisdictionis Primatum in reliquos omnes Ecclesiæ Episcopos jure Divino obtinere.

V. Quem Primatum in omnes Episcopos habet Romanus Pontifex, in eos habet etiam in Œcumenico Concilio congregatos, in quo auctoritate, & jurisdictione præest, sicuti & judicandi, definiendique potestate. Frustra vero Romanum Pontificem Generali Concilio subiicere conantur aliqui ex factis Concilii Pisani, vel Constantiensis, sess. 4. & 5. vel denique Basileensis, ex quibus nihil contra Pontificiam auctoritatem colligi posse pluribus demonstramus.

VI. Præter recensitas Dotes, quæ a Petro ad Romanos Pontifices derivarunt, alia insuper ex eadem origine eis accessit, judicii nempe infallibilitas, qua fit, ut quoties ipsi ex Cathedra, ut dici solet, ea definiunt, quæ ad Fidem, vel mores pertinent, etiam extra Generale Concilium, errare nullatenus possint. Hæc autem eorum definitio debet infallibilis censeri auctoritatis, etiam ante præstitum ei ab Ecclesia consensum.

VII. Qui tam præclarum Infallibilitatis privilegium Romanæ Sedi invident, toti sunt in conquirendis undique ex Ecclesiastica Historia monumentis, quibus probari posse existimant Romanos Pontifices in Fidei definitionibus hac Infallibilitate destitui. Operam tamen eos perdere arbitramur, cum nullus ex Romanis Pontificibus ostendi possit in hisce definitionibus ferendis a Catholica fide revera descivisse, non Victor, non Stephanus, non Liberius, aut Zosimus, aut Honorius, vel Marcellinus (cujus factum inter Donatistarum commenta amandamus) non denique alius eorum quisquam; quos omnes a qualibet erroris, & hæreseos labe immunes prorsus fuisse contendimus. Ad factum quod attinet Vigilii in causa Trium Capitulorum, nil aliud potest inferri ex contrariis ab ipso editis rescriptis, quam pro diversis temporum circumstantiis, diversa quidem, prudenti tamen laudabilique Œconomia eum usum fuisse.

De Sanctis Ecclesiæ Patribus.

I. NOmine Sanctorum Ecclesiæ Patrum, eos juxta communem acceptionem intelligimus, quos in rebus Fidei, & morum tamquam Magistros suspexit antiquitas. Hos inter nonnulli fuere sola antiquitate, & doctrina illustres, plurimi vero Sanctitate etiam conspicui: ab utrisque ea, quæ Traditionis sunt, hauriri debent, sed ab iis potissimum, quos ut Sanctos colit Ecclesia.

II. Unius tamen, vel alterius Patris de hisce rebus sententia, aliis tacentibus, firmum non ministrat argumentum; plurium vero Patrum opinio, aliis ex altera parte licet paucioribus reclamantibus, valde quidem probabile, at non omnino certum: sed certissimum & infallibile id habebitur, si unanimis eorum accedat in dogma aliquod consensio, cui proinde absque piaculo refragari non licet.

De Deo, ejusque Attributis.

I. PErspicue adeo ostendit se Deus in operibus suis, totque, & tanta sunt argumenta sive metaphysica, sive physica, sive moralia, quibus supremi Numinis existentia comprobatur, ut meridiana in luce cæcutire dicendi sint quotquot eam vel inficiari, vel in dubium revocare non verentur. Quin, & mirari subit aliquos extitisse Theologos, qui invincibilem ipsius Dei ignorantiam in homine rationis compote possibilem asserere non dubitaverint.

II. Exigit Dei conceptus, atque natura perfectionum omnium cumulum: quapropter ita unus est Deus, ut alterius consortium penitus excludat. Execramur itaque Paganorum, Valentini, Prodici, Cerdonis, Manetis, aliorumque Polytheorum insaniam.

III. Simplicissimus pariter est Deus, & cujuscumque compositionis expers. Proprietatem hanc Deo abjudicarunt veteres quotquot, qui Deum ipsum cum Universi substantia pessime confundebant. Istorum deliria, temerario ausu, & irrito, renovare, ac geometrica methodo confirmare conatus est Benedictus Spinosa certo quodam concinnato systemate, quod ne dum a Religionis, verum etiam ab omni rationis sensu penitus abhorret.

IV. Supinus fuit Antropomorphitarum error Deum humano corpore, & membris præditum inclamantium. Ab hoc errore, quidquid aliis visum fuerit, immunes fuisse remur Melitonem Sardensem Episcopum, & Audium. Tertullianum itidem, licet minus castigate de Dei simplicitate locutus sit, tamen ab Antropomorphitarum hæresi alienum ducimus: Epiphanium vero, nonnisi per meram calumniam, in tam crassi erroris suspicionem vocari posse contendimus.

V. Ne dum ita simplicem Deum asserimus, ut eum Spiritum dicamus ab omni materiæ admixione purissimum; sed etiam ut quamlibet realem intrinsecam distinctionem inter essentiam, & attributa, vel inter attributa ipsa, quarum alterutram Gualterus, Palamitæ, Sociniani, aliique Hæretici commenti sunt, omnino excludat. Refugimus etiam Aetii, & Eunomii errorem: dissidemus a Nominalibus; & eam inter divina attributa distinctionem admittimus, quam rationis ratiocinatæ, & virtualem thomisticam appellant.

VI. Perfectissimę simplicitati proxima est, & necessario connexa summa Dei Immutabilitas, quam Deo convenire tuemur etiam quoad decreta libera, quæ creaturas respiciunt: & licet in concilianda Dei libertate cum ejusdem Immutabilitate multum caliget, & hæreat humana ratio: utriusque tamen perfectionis consortium in eodem simplicissimo Ente minime repugnare asserimus.

VII. Ubique Deus adest immensitate substantiæ suæ non sola scientia, & potestate, ut cum Vorstio blaterant Sociniani, contra quos catholicum dogma unice tueri contenti sumus, quin modum

modum quo Deus immensitate sua rebus omnibus intime præsens est, curiosius investigemus.

VIII. Solus Deus æternus est æternitate proprie dicta, qua semper idem est, & permanens a sæculo usque in sæculum; principio caret, & fine, & temporum successionem excludit.

IX. Dementer nimis Beguardi, & Beguinæ post Aetium, & Eunomium jactarunt se tam perfecte infinitam Dei essentiam comprehendere, sicuti Deus semetipsum comprehendit: equidem, si de comprehensione stricte sumpta sermo sit, adeo incomprehensibilis est Deus, ut a nullo intellectu creato, nequidem lumine gloriæ adjuvante, comprehendi possit.

X. Errarunt exopposito Palamitæ, aliique, si qui fuerunt ejusdem opinionis homines, intuitivam Dei visionem absolute impossibilem statuentes; utcumque enim corporis oculis nec visus sit unquam Deus, nec videri possit; utcumque creata mens visionem hanc per solas naturæ vires assequi minime valeat; eamdem tamen obtinere potest, si Dei illustratione, & auxilio roboretur.

XI. Intuitivam hujusmodi visionem, nulli quidem hominum viatorum, ne Moyse, vel Paulo excepto, concessam fuisse defendimus: bene vero, exploso Millenariorum regno, & rejectis Heterodoxorum figmentis circa dilationem gloriæ usque ad extremam judicii diem, ea incunctanter ab obitu donari dicimus piorum Animas, quibus nihil post mortem luendum superest. Tantum autem abest ut circa hoc dogma Hæreticorum partes juverit S. P. N. Bernardus, quemadmodum, S. Doctoris sensu penitius non inspecto, immerito prorsus causantur nonnulli, quod e contra aptissima sit ejus authoritas ad Catholicam veritatem firmandam.

XII. Iis vero animabus, quibus a corpore solutis aliquid adhuc expiandum remanet, tamdiu differtur intuitiva Dei visio, quamdiu Purgatorii pœnis, quæ mitiores, & breviores viventium suffragiis reddi possunt, penitus expurgatæ fuerint.

De Mysterio SS. Trinitatis.

I. Mysteriorum omnium profundissimum Augusta Trinitas, Fidei, ac professionis ejus, qua Christiani sumus, caput præcipuum, unam Divinam complectens essentiam in Tribus distinctis personis subsistentem, sine ulla vel separatione substantiæ, vel confusione personæ, adeo sublime est, atque humano captui impervium, ut nulla humana ratione, supposita etiam illius revelatione, valeat demonstrari.

II. Dari in Deo tres personas non nomine tantum, sed realiter inter se distinctas in una, eademque numerica natura, seu essentia, plura sunt per totum, sed maxime Novi fœderis contextum sparsa testimonia, eaque disertissima, quæ utramque Catholicam veritatem luculenter ostendunt.

III. In tanta momentorum copia illud potissimum obtinet, quod in epist. 1. S. Joannis cap. 5. vers. 7. legitur. *Tres sunt, qui testimonium dant, in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Neque hujus textus sinceritatem dubiam reddere possunt, quæcumque ad elevandam ipsius fidem congerunt intemperantioris Critices Homines. Varia siquidem priscorum codicum lectio, nonnullorum Patrum silentium, paucorumque eruditorum dubitationes tanti non sunt, ut probent peregrina manu Joannis epistolæ fuisse insertum, si cum aliis comparentur, quæ illum, tamquam germanum S. Evangelistæ fœtum, suo vindicant Auctori.

IV. Verbi divinitatem, ejusque cum Patre consubstantialitatem innumera ferme Divinarum Scripturarum testimonia evincunt; Nemo tamen disertius rem hanc probat laudato Joanne Apostolo, cujus potissimum testimoniis refelluntur quotquot Verbum a Divina substantia fecere extraneum, & in creaturarum sortem blasphemi depressere.

V. Quod ex omni Patrum numero, qui Nicænam Synodum præcessere, plerique minus proprie, minusque caute de Verbi Divinitate quædam interdum scripsisse videantur, eorum probant testimonia, quæ in suspicionem violatæ Fidei venerunt. Verum id dandum est illorum

 tempo-

temporum circumstantiis, quæ adeo castigatum non exigebant loquendi modum. *Securi loquebantur*, inquit Augustinus, *cum nullus adesset hostis*. Id etiam in quamdam œconomiam primis illis Christianæ Religionis temporibus non incongruam referri potest. Ceterum illorum aliquem Arianis prælusisse, a vero distat, quam quod maxime.

VI. Integra in primis est circa Verbi divinitatem Justini doctrina; quæ satis se prodit sive in secunda pro Christianis Apologia, sive in disputatione, quam Ephesi habuit cum Triphone Judæorum sua ætate doctissimo. Incorruptæ Justini Fidei apprime respondent, quæ de eodem Verbo scriptis suis consignavit Irenæus. Ab hoc illustri Antenicænorum Scriptorum cœtu, qui orthodoxam de Trinitate fidem professi sunt, sejungendus non est Tertullianus.

VII. Duriora sunt Origenis verba, quam ut emolliri queant, & ad catholicum sensum inflecti; verum quum quædam Origenis opera Hæreticorum Hominum invidiæ patuerint, eorumque corruptelæ fuerint obnoxia, mirum non est, si in plerisque non pauca occurrant impie dicta, quæque christianas aures graviter offendunt. Si igitur ex iis germanus Origenis sensus esset eruendus, haud dubium, qnin ipse ad Heterodoxorum partes, vel invitus traheretur, Quod si ad erudita alia ingenii ejus monumenta, quæ ætate jam valde maturus opposuit Celso, quæque indubitatæ sunt fidei, nullisque fædata mendis, provocemus, sua erit hac in parte Origenianæ doctrinæ integritas. Ad corruptos ejus fætus potissimum respexisse censendi sunt, qui illum veluti male de Verbi Divinitate sentientem traduxerunt.

VIII. Jure proinde Ariana Hæresis in Nicæna Synodo fuit damnata, atque vocabulum ὁμοούσιον rectissime usurparunt Nicæni Præsules ad designandam Verbi Divinitatem, ac perfectam cum Patre æqualitatem; tum illud veluti tesseram merito haberi voluerunt, quo uno malignantium Hominum perfidiæ omnis tergiversandi via præcludi, atque Hæresis omni ex parte conteri posset.

IX. Ab hac tamen orthodoxa de Verbi consubstantialitate doctrina, & fide descivit Eusebius Cæsariensis Vir ceteroquin multiplicis eruditionis genere conspicuus. Antistitem hunc Arianæ impietatis accusant non tam arctissimum, quod cum Arianis inierat amicitiæ fœdus, quorum partes non semel adjuvit, & sua promovit auctoritate; quam perversa dogmata, quæ de Verbi Divinitate, etiam post Nicæni Concilii decretum suis inseruit scriptis. Illa autem talia sunt, ut nec benigna interpretatione temperari possint, nec ad sensum Nicænæ fidei detorqueri. Frustra proinde insudarunt Socrates, Valesius, ut ab eo quamlibet hæreseos notam adimerent.

X. Liberius Summus Pontifex, quem pro fide catholica plura contra Arianos egisse constat, Fidei formulæ sibi ab iisdem Hæreticis oblatæ subscribens, nusquam Arianæ perfidiæ consensit, aut Catholicam ejuravit fidem: Formula namque, cui ipse subscripsit ex tribus, quæ Syrmii editæ sunt, prima fuit, eaque catholica, non autem secunda, ut putant nonnulli, qui de Liberii orthodoxia nimis dure, minusque recte judicarunt. Neque ipsis suffragantur, quæ de Felice II. afferuntur: nostra siquidem sententia est eum numquam fuisse legitimum Pontificem.

XI. Patres similiter in Ariminensi Concilio congregati, subscribendo Formulæ sibi ab Arianis Viris Ursacio, & Valente exhibitæ, Ariano veneno infecti non fuerunt, quum bono animo, rectoque fine tali subscripserint Formulæ, quæ secundum extimam verborum superficiem spectata nihil hæreticum exhibebat, quamvis juxta Auctorum mentem, & consilium inspecta, captiosa foret, & hæretica.

XII. Quam obtinet Filius cum Patre Divinam naturam, eandem cum Patre & Filio indivisam habet Spiritus Sanctus, non æterna natus generatione, sed ex utroque ab omni æternitate procedens. Divinitatem Spiritus Sancti contra Macedonianos, ceterosque Pneumatomachos, Alexandrina primum, Athanasio Præside, inde Romana sub Damaso, tum Constantinopolitana Synodus asseruere.

XIII. Ad compescendum grassantem Schismaticorum errorem de negata Spiritus Sancti processione

ſione a Filio, atque ad extinguendam ſuccreſcentem in dies novæ hæreſeos doctrinam, inſerta eſt Conſtantinopolitano Symbolo vox *Filioque*. Ejuſmodi additionem, ſeu potius Orthodoxæ Fidei uberiorem expoſitionem ea, qua præſtat auctoritate, jure interpoſuit Occidentalis Eccleſia, urgentibus potiſſimum circumſtantiis, in quibus verſabatur. Quare immerito Romanis exprobrant, criminique vertunt Græci, quod vocis illius additamento Fidei Symbolum interpolaverint. Circa epocam tamen additionis hujus, alios malumus audire, quam noſtrum ferre judicium.

XIV. Admittendas eſſe in Deo veras, & reales, immanenteſque proceſſiones, cum Ethnicis & Judæis Sabelliani, & Ariani pertinaciter negant. At oppoſitum ex innumeris pene ſcripturum, & Patrum teſtimoniis invicte demonſtratur.

XV. Porro hujuſmodi proceſſiones duæ tantum ſunt, nec plures, nec pauciores: una Verbi quæ dicitur, & eſt generatio; altera Spiritus Sancti, quæ generatio non eſt, ſed ſimplex appellatur proceſſio. Hujus diſcriminis evidens ratio nobis non innoteſcit, quum ad hæc uſque tempora, nulla, quæ plene, & integre ſatisfaciat, aſſignata fuerit cauſa: ſuppoſitis tamen communioris Philoſophiæ principiis, ſatis apta illa videtur, quod ſolum Verbum procedat ut Filius, quia procedendo per intellectum, procedit ſecundum rationem ſimilitudinis, quæ ad propriam generationem requiritur; non ita Spiritus Sanctus, Divinæ impulſu voluntatis procedens.

De Divini Verbi Incarnatione.

I. ALtiſſimum, & a ſæculis abſconditum Divinæ Incarnationis myſterium, quo Verbum citra ullam ſui mutationem, pro nobis caro factum eſt, jam pridem in Jeſu Nazareno impletum fuiſſe, pluribus argumentis tam contra Judæos, quam contra Gentiles oſtendimus.

II. Inter cetera quibus ad Judæorum perfidiam revincendam utimur, & probandum Jeſum verum eſſe Meſſiam Prophetarum oraculis prænuntiatum, unum deſumimus ex Jacobi vaticinio Gen. 49., alterum ex Danielis prophetia cap. 9. In Jacobeo vaticinio nomine Judæ non univerſum Iſraeliticum Populum, ſed peculiarem dumtaxat hujus nominis Tribum deſignari arbitramur: Danielis autem hebdomadas ab anno xx. Artaxerſis auſpicandas dicimus.

III. Eoſdem Judæos refellimus etiam domeſtico, & minime ſuſpecto teſtimonio de Chriſto & Meſſia, quod habent apud Joſephum lib. 18. antiquit. Judaic. cap. 4., quod genuinum eſſe iſtius Authoris fœtum contra Oſiandrum, Giſanium, Montacutium, Capellum, Tanaquillum Fabrum, alioſque intemperantiores Criticos, tum ex græcæ phraſeos hujus teſtimonii, cum Flaviano ſtylo conformitate, tum pluribus aliis aliunde deſumptis momentis comprobamus.

IV. Adverſus Ethnicos, ultra argumenta, quæ ex Miraculis, Prophetiarum in Chriſto adimplemento, aliiſque fontibus derivantur, illud etiam urgemus, quod Pilati Acta ad Tiberium Cæſarem miſſa ſuppeditant. Licet enim ea nunc excidiſſe probabilius ſit; tamen & ſcripta fuiſſe & præclarum chriſtianæ fidei teſtimonium reddidiſſe non dubitamus.

V. In conſignando anno Chriſti natalitio, nunc temporis etiam in varias partes ſcinduntur peritiores Chronologi. Nos illis adhærendum cenſemus qui Chriſti Natale collocant in anno Periodi Julianæ 4709., quadriennio ante æram vulgarem, Coſſ. Auguſto XII. & Sulla.

VI. Divinum Infantem recens natum ſuſcepit Beatiſſima Virgo, & pannis involutum reclinavit in Præſepio, ubi Bovem, & Aſinum accubuiſſe figmentum non eſt ab Authore libri de Divinis promiſſionibus inductum, & Pictorum induſtria propagatum, ut nonnullis viſum fuit, ſed opinio, quæ a tertio Eccleſiæ ſæculo invaluiſſe probatur.

VII. Sexta Januarii die, ex Arabia Felice ad Chriſti incunabula accedentes Magi, natum humani generis Redemptorem tanquam Deum ſimul, & hominem, religioſo, ac Latriæ cultu procumbentes adorarunt: atque nonniſi temere, & contra conſtantem Patrum traditionem

ador-

adorationem hanc Christo a Magis exhibitam Author versionis Gallicæ Bibliorum typis Trevoltiensibus cusæ, ejusque Apologista ad cultum mere civilem referunt, & apud Orientales in more positum.

VIII. Verbum divinum solidum corpus, & veram humanam carnem assumpsit, quam non è Cælo, non aliunde, sed, operante Spiritu S. materna traxit ex carne. Dum Christum Maria virginali concepit utero, & fudit partu, novo prorsus inauditoque prodigio & Mater fuit, & Virgo tam ante partum, quam in partu, quam post partum intemerata permansit.

IX. Specialibus quidem prærogativis, & gratiæ privilegiis, propter hypostaticam cum Verbo unionem decorata fuit Christi caro; peccati fomite caruit, passiones non sensit subrepentes, & excruciantes invitum &c. eam tamen voluit Deus doloribus, ceterisque communibus humanæ naturæ infirmitatibus obnoxiam; ac Christi corpus vere passibile fuit & doloribus subditum.

X. Plura quidem in S. Hilarii scriptis, & præcipue lib. 10. de Trinit. occurrunt, quæ si juxta verborum corticem, & separatim a scopo S. Doctoris sumantur, sinistram parere possunt suspicionem de ejusdem doctrina circa veritatem passionis & dolorum in Christo: verum tamen si, ut judicii æquitas postulat, ea librentur cohærenter ad scopum disputationis, nec non ad testimonia alibi expressa, facile constat nullum esse fundamentum opinandi S. Hilarium asseruisse in Christo indolentiam.

XI. Nedum verum & proprium corpus assumpsit Christus, sed animam etiam humanam mente, ac ratione præditam, quæ a primo suæ Conceptionis instanti, & perfectissima rerum omnium scientia donata fuit, & Deum intuitive vidit, non tamen comprehendit.

XII. Ex quo Verbum hominem assumpsit, & formam Servi accepit, factam esse utriusque naturæ, Divinæ scilicet, & humanæ hypostaticam unionem Catholica Fides docet. Fatendum est itaque unicam tantum esse in Christo Personam, Divinam nempe; & Beatissimam Virginem jure θεοτόκον sive Deiparam appellari.

XIII. Inconcussum hoc dogma evertere aggressus est Nestorius eo impietatis adductus, ut duas adstrueret personas in Christo eumdemque in duos Filios dispesceret, & Virginem Mariam proprie θεοτόκον dicendam esse negaret. Quare merito & legitime ab Ephesina Synodo damnatus fuit: nec quidquam prosunt ad Nestorium ab errore purgandum momenta, quæ incassum congesserunt Albertinus, Gaillard, David de Rodone, aliique Calvinianæ factionis homines.

XIV. S. Cyrillus Nestorianam blasphemiam impugnans illibatam tenuit Catholicam Fidem, quin ullo modo in Appollinaris errorem deflecteret. Nestorii fama, & vetus consuetudo impulit Joannem Antiochenum Antistitem, ut perditissimi hominis patrocinium susciperet, ex quo non levis oritur de ejusdem Joannis fide suspicio: verum re attentius inspecta, personæ dumtaxat Nestorii, non errori ipsum adhæsisse constat.

XV. In hæresim Nestorianæ ediametro oppositam concessit Eutyches dogmatizans duas naturas, post adunationem, in Christo ita permixtas esse, & confusas, ut in unam coaluerint. Huic errori Catholicæ Ecclesiæ Fidem opponimus ostendentes duas naturas, post Incarnationem in Christo distinctas mansisse, inconfusas, & impermixtas, licet in eadem divina hypostasi subsistentes.

XVI. Si duæ sunt in Christo impermixtæ naturæ, idemque perfectus Deus est, & perfectus homo, necesse est, ut suæ cuique naturæ maneant impermixtæ proprietates. Duas ergo, contra Monothelitas, cum Catholica Ecclesia asserimus fuisse in Christo voluntates, & duplices operationes.

XVII. Plus æquo quidem, callida fraude deceptus, Sergio indulsit Honorius I. Rom. Pontifex: ipsius tamen errores nusquam admisit, aut probavit: nec quidquam confici potest ad Honorium erroris insimulandum ex iis, quæ ex VI. Synodo proferuntur.

XVIII. Admittenda est in Christo communicatio idiomatum in concreto, & respectu Personæ propter ejusdem Personæ unitatem; reiicienda vero in abstracto propter naturarum distin-

distinctionem. Hinc invectum a Luthero, & a Brentio subinde latius propagatum Ubiquitarum errorem damnamus.

XIX. Culpanda quidem est Scytharum Monachorum impudentia, qua, insano furore perciti, omnia susdeque vertentes, pertinaciter nimis orthodoxam ceteroqnin propositionem „ Unus è Trinitate passus est carne „ in fidei canonem referendam contendebant: Eutychianæ tamen hæreseos labe inquinati non fuerunt.

XX. Probabilius videtur Felicem & Elipandum Nestoriano sensu duos distinguentes Filios, asseruisse Christum Filium Dei adoptivum. Quæcumque vero fuerit illorum mens, de qua liquido non constat, certum est, ne quidem sub expressa humanitatis restrictione talem denominationem Christo aptari posse.

XXI. Ex pluribus, quæ circumferuntur „Chronologorum sententiis de Anno Baptismi, & Mortis Christi, eam seligimus, quæ statuit Christum baptizatum esse anno vulgaris æræ 26. ætatis suæ 30. ineunte, & solido triennio in Evangelii prædicatione exacto, Cruci affixum fuisse, anno scilicet vulgaris æræ 29., ætatis suæ 33.

XXII. Hac pretiosa morte, infinito persoluto pretio, exhibuit Christus Æterno Patri pro peccatis nostris condignam, imo cumulatissimam satisfactionem; vere & proprie pro nobis satis fecit, ad strictos juris apices, & universum humanum genus redemit. Neque ab hac universali redemptione excluduntur mulieres, quemadmodum insaniendo docuit Horatius Plata.

XXIII. Erravit cum Origene Didymus præclarum hoc Christi Reparatoris beneficium ad Angelos prævaricatores etiam, & reliquos damnatos ampliando, pro qua erronea opinione tuenda frustra præsidium querunt Origenistæ ex celebri illo testimonio quod habetur prima Petri cap. 3. v. 18. & seq.

De Adoratione Humanitatis Christi, Sanctorum Invocatione, Imaginum, & Reliquiarum cultu.

I. HUmana Christi natura hypostatice Verbo unita eodem Latriæ cultu cum Verbi Divinitate colenda est: hæc autem adoratio non humanæ naturæ præcise per se sumptæ tribuitur, sed ad suppositum terminat. Errorem propterea ingeminant plures ex Socinianis, dum Christum merum hominem esse perfide sentientes, divinos illi impendunt adorationis honores

II. Immerito prorsus Novatores, Vigilantii, Manichæorum, & Eunomianorum hæreses ab Orco revocantes Catholicis succensent, quod Sanctos cum Christo regnantes religioso cultu prosequantur: etenim indubium est religiosum Duliæ cultum, quo eosdem Sanctos Catholica veneratur Ecclesia antiquum esse, rectum, & laudabilem.

III. Constat Angelos, & Sanctos in Cœlis, nedum pro Ecclesia Militante in genere, sed etiam speciatim pro particularibus illius membris preces ad Deum fundere; & tantum abest quod eorum invocatio Christo Mediatori injuriosa sit, ut e contra tanquam pia, & utilis merito commendetur.

IV. Putorem spurcissimum, quem ait S. Hieronymus contra Sanctorum Reliquias Vigilantium protulisse, iterato excitant nostrorum temporum Hæretici, dum simili modo per crassam ignorantiam, & calumniam, Catholicos tamquam cinerarios traducunt, & idololatras, e quia Sacras Sanctorum exuvias licita, Religiosa veneratione colant, & antiquitus ab Ecclesia usurpata.

V. Haud ignotus fuit, quamvis rarior, tribus prioribus Ecclesiæ sæculis Sanctorum Imaginum usus, & cultus: multo magis invaluit quarto sæculo, & sequentibus Ecclesia in libertatem vin

vindicata. Cum veteribus Jconomachis errat Dallæus, & alii moderatiores Hæretici cultum hunc tanquam illicitum & superstitiosum respuentes.

De Scientia Dei.

I. ESSE in Deo perfectissimam rerum omnium scientiam nemo sanæ mentis ambigere potest. Omnia nuda sunt, & aperta oculis ejus. Semetipsum perfecte cognoscit, & comprehendit. Nulla est creatura sive possibilis, sive præterita, sive præsens, sive futura, quæ scientiæ ipsius plenitudinem subterfugiat.

II. Intima quoque scrutatur cordium, futura creaturarum libera quæcumque sive absoluta, sive conditionata unico, & infallibili metitur intuitu: mala omnia naturæ cognoscit, mala pœnæ, atque peccata. Et cum hac infallibili Dei Scientia integra, & illæsa manet humana libertas.

III. Agentes de medio in quo Deus videt futura libera creaturarum, de quo gravis est in scholis controversia, ea quæ sunt ordinis mere naturalis, ab illis secernimus quæ ad ordinem supernaturalem pertinent; & primi generis futura Deum videre dicimus non in reali eorum cum æternitate coexistentia, non in decretis suis efficacibus, & prædeterminantibus, sed in se ipsis, & in determinatione creatæ voluntatis tanquam causa. Quæ vero secundi generis sunt, etiam pro statu naturæ lapsæ, videt quidem Deus in suis Decretis tanquam in causa: verum hæc decreta scientiam conditionatorum antecedere non arbitramur, sed subsequi.

IV. Itaque ultra scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis, eam in Deo admittimus, quam mediam vocant; & hanc nec Scripturarum oraculis, nec Augustini authoritati adversari contendimus,

De Gratia Dei.

I. IN statu naturæ innocentis, rectum nempe, justum, sanctum, immortalem, & aliis pluribus Gratiæ donis cumulatum in ipso creationis exordio primum hominem plasmavit Deus. Originalis hæc justitia, & reliqua dona, gratuita prorsus fuere, & supernaturalia munificentissimi Conditoris beneficia, non ad naturalem humanæ naturæ conditionem spectantia, aut alio titulo eidem debita. Quare potuit Deus ab initio hominem in puris naturalibus condere, sine gratia, & sine peccato, nec ullatenus repugnat status naturæ puræ.

II. A primæva justitia, & sanctitate peccando excidit Adam, cujus peccatum in posteros transfusum fuisse utriusque Testamenti paginæ, necnon constans & perpetua Ecclesiæ traditio apertissime probant: neque a generali hujusmodi contagione eximuntur Regeneratorum filii, ut perperam Calvino, Zuinglio, Bucero aliisque Novatoribus visum fuit.

III. Adamo peccante statum naturæ innocentis excepit status naturæ lapsæ, in quo, nedum bonis supernaturalibus spoliata est humana natura, verum, & in naturalibus sauciata: ita ut homo lapsus, non solum ad diligendum Deum amore supernaturali; verum etiam naturali, sed affectivo super omnia, quemadmodum etiam ad implenda universa naturalis legis præcepta, omnesquæ tentationes vincendas speciali egeat divinæ gratiæ adjutorio.

IV. Non sic tamen concidit in homine lapso liberum arbitrium, ut sine gratia nonnisi ad peccandum valeat: imo sola adhuc sua natutali virtute generali Dei concursu munita, ne dum pluries peccatum declinare potis est, sed nonnulla quoque opera moraliter bona perficere. Multo minus requiritur fides, vel gratia habitualis, ut actio a peccato vacet; unde nec omnia Peccatorum, nec omnia Infidelium opera sunt peccata.

V. Rufini Aquilejensis præceptis imbuti hæresim suam disseminarunt Pelagius ac Cælestius.

Istis,

Istis, nedum ova fovit, sed & pullos exclusit Origenes in libro Περὶ ἀρχῶν & alibi. Alter Pelagianorum Prodomus fuit Theodorus Mopsvestenus.

VI. Tradiderunt Pelagiani non indigere hominem divinæ gratiæ auxilio ad vitæ sanctimoniam, sed posse per se stare, & solis arbitrii viribus omnia declinare peccata, ac quodcumque bonum opus in ordine ad vitam æternam exequi; a quo errore, toto animo recedentes, interioris gratiæ necessitatem ad qualibet supernaturalia opera non solum perficienda, verum & incipienda cum Ecclesia Catholica vindicamus.

VII. Necessaria etiam est Dei gratia ad declinanda omnia peccata: & si de peccatis omnibus etiam venialibus collective sumptis sermo sit, eximium ad hoc requiritur divinæ gratiæ privilegium, quod nulli mortalium, sola Beatissima Virgine excepta, concessum existimamus.

VIII. Gratiam habitualem admisit quidem Pelagius; at non sensu plane recto & Catholico. De necessitate gratiæ voluntatis, & actionis diuturna exarsit controversia inter Augustinum, Ecclesiæ partes agentem, & aberrantes Pelagianos: ita vero pro necessitate hujus gratiæ decertavit S. Doctor, ut nullibi docuerit eam esse ab intrinseco efficacem; multo minus operari per victricem delectationem, quæ simplicem necessitatem inducat.

IX. Flexiloqua tergiversatione exitiosum virus occultans, Catholicumque se simulans, Diospolitanis Patribus illusit Pelagius, & absolutionem subdole suffuratus est; sed hæreticum absolvendo, non modo hæresim non approbarunt præfati Patres; sed primi omnium damnarunt.

X. Pari calliditate Zosimo imponere studuit Cælestius; res tamen ei ex voto non cessit: nam licet Pontifex doli adhuc nescius, lenius cum ipso agendum duxerit, nusquam ejus prava dogmata vel verbo probavit, vel facto. Quin imo agnita fraude tam Cælestium, quam Pelagium repetita auhoritate damnavit.

XI. Quamvis a nonnullis præjacta jam fuerint Semipelagianæ hæreseos semina, nihilominus circa annum dumtaxat 429, in sectam coalescere cæpit Semipelagianismus. Semipelagiani erroris accusantur inter alios S. Joa. Chrysostomus, Cassianus, Faustus Rejensis, & Gennadius Massiliensis. De Chrysostomo dicimus Semipelagianismum præfocasse potius, quam docuisse, reliquos vero admittimus hac fuisse fuligine tinctos.

XII. Non in eo hæretici erant Semipelagiani, quod vellent gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare, ut perverse docet Jansenius; sed in eo quod negarent gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, & ad initium fidei.

XIII. Communis hic fuit Semipelagianorum sensus, & error, contra quem asserimus gratiæ donum esse initium fidei, & neminem posse operibus mere naturalibus divinam gratiam sibi promereri. Pactum vero a nonnullis excogitatum, quo Deus se obstrinxerit ad impertienda supernaturalia auxilia bene utentibus ratione, ac supernaturali lumine, inter commentitia amandamus.

XIV. Præter gratiam efficacem, quæ suum semper sortitur effectum, licet non sit ab intrinseco efficax, ut nos probabiliter opinamur, admittenda est gratia vere, & proprie sufficiens, quæ plenam tribuat potentiam ad bene agendum etiam relate ad præsentes subjecti circumstantias, & cui sola sua pravitate reluctatur humana voluntas; atque erravit Jansenius asserendo quod interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

XV, Urgente præcepto nulli justorum denegatur gratia, qua illud implere possint si velint; & merito proscripta est altera Jansenii propositio, qua statuit aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires impossibilia esse, & deesse illis gratiam qua possibilia fiant.

XVI. Probabilius quoque est Deum omnibus, & singulis hominibus, ne demptis quidem Infidelibus, & peccatoribus obcæcatis, & obduratis præsto esse gratiæ suæ auxilio, qua, mediate saltem, & fidem, & salutem obtinere possint.

XVII. Non

XVII. Non pro salute prædestinatorum dumtaxat mortuus est Christus; ut blasphemat Jansenius, sed semetipsum dedit redemptionem pro omnibus omnino hominibus: & tantum abest quod id asserere semipelagianum dici queat, quin veritas sit a scriptura, & Patribus disertissime tradita.

XVIII. Gratia sanctificans est Charitas Christi, quæ per Spiritum Sanctum inhabitantem diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret. Per hanc gratiam fit ut filii Dei nominemur, & simus, vere justificantur impii, & abluuntur peccatorum sordes, non mere teguntur: neque sola imputatione justitiæ Christi, vel sola condonatione peccatorum justus efficitur homo, aut quolibet alio externo favore, ut blaterant Novatores.

XIX. Ad justificationem consequendam requiritur in adultis fides, spes, & charitas; nec ea fides prodest, qua quis certo teneat sibi per Christum dimissa esse peccata. Multo minus fides hujusmodi ad Novatorum placita expressa quidquam confert, ut peccatorem certiorem reddat de sua justificatione. Imo, quamvis certitudinem moralem possit homo circa id obtinere; nihilo tamen minus nullus, quandiu in hac vita degit, certus esse potest certitudine fidei, quæ excludat omnem formidinem sibi remissa esse peccata.

XX. Per bona opera quæ justificationem consequuntur, non tantum de congruo, sed etiam de condigno promeretur justus & sanctificantis gratiæ augumentum, & vitam æternam: non tamen, saltem de condigno, meretur finalis perseverantiæ donum, ad quod obtinendum specialis requiritur gratia ab habituali, & communibus gratiæ auctualis auxiliis distincta, ab ipsis etiam renatis & Sanctis enixe petenda.

De Divina Providentia, Prædestinatione, & Reprobatione.

I. RES humanas non fatali necessitate, vel fortuito casu contingere, sed omnia Divina Providentia regi, quæ minima quæque etiam, & viliora complectatur, adeo comperta res est, ut nonnisi, nedum manifestis Scripturarum testimoniis, & Sanctorum Patrum dictis, verum & naturali rationi aperte repugnando possit in dubium verti.

II. Præcipua, & nobilior Divinæ Providentiæ pars est Prædestinatio, quæ recte ab Augustino definitur. Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Admittendam esse hanc prædestinationem tam certum est, ut quemadmodum ait idem S. Augustinus Semipelagianos refellens, nemo nisi errando contra eam disputare possit.

III. Neque inde timendum est libertatis excidium Certa siquidem est, & immutabilis Prædestinatio, certus est, & determinatus Prædestinatorum numerus: sed hac non obstante Prædestinationis certitudine, adhuc relinquitur homo, in manu consilii sui, & stat Prædestinatorum libertas.

IV. Licet omnes, & soli Prædestinati æternam beatitudinem certo, & infallibiliter consequantur; divina tamen Providentia cautum est, ut nullus, citra specialem revelationem certo scire possit se esse de numero illorum, qui prædestinati sunt.

V. Circa prædestinationis causam, tanquam erroneam reiicimus Origenis sententiam de animarum præexistentia, & ut commentitium meritum prædestinationis comparatum ante illarum unionem ad corpora. Pelagianis quoque, & Semipelagianis contradicimus qua parte primi ex prævisis bonis naturæ operibus, alii vero ex præscientia initialis fidei, aut bonæ voluntatis ex solo libero arbitrio naturaliter prodeuntis eamdem prædestinationis causam repetendam duxerunt.

VI. Certum pariter est prædestinationis motivum non esse prævisa merita etiam supernaturalia

ralia sub conditione futura. An vero efficax, & absoluta prædestinatio ad gloriam sit omnino gratuita, vel fiat a Deo dependenter a meritis supernaturalibus prævisis absolute futuris, quæstio est, quæ salva fide hinc inde libere in Scholis agitatur. Nos posteriorem sententiam sequimur contendentes eam nec Scripturarum, nec Augustini, nec aliorum Patrum testimoniis sufficienter impugnari.

VII. Si prædestinatio adæquate sumatur, prout tam gratiam quam gloriam complectitur, inter ipsius effectus præter vocationem, justificationem, perseverantiam finalem, & alia id genus beneficia, etiam mala pœnæ, ipsamque peccati permissionem dicimus computanda: non quidam hæc per se, & ratione sui, sed per accidens, & ratione subsequentium bonorum, quæ Deus sua misericordia, & virtute novit ex illis eruere. Si vero inadæquate sumatur prout solam respicit gloriam, eadem gloria unicus erit ipsius effectus.

VIII. Hujuscemodi gloria nonnisi liberis Electorum meritis retribuitur, & turpiter errant Prædestinatiani asserentes quod nec pie viventibus prosit bonorum operum labor si ad mortem prædestinati fuerint, nec improbis obsit quod peccatis se implicent, si a Deo prædestinati fuerint ad vitam.

IX. Prædestinatianam hæresim postremis sæculis extitisse, & nunc etiam vigere in Calviniana, & Janseniana secta, a nemine in dubium vocatur: sed dissidium viget inter eruditos utrum etiam Augustino adhuc superstite hujusmodi error eruperit, & subsequentibus temporibus fuerit ab aliis denuo suscitatus. In hac controversia probabilius nobis videntur opinari qui censent revera Augustini ætate prædestinatianam hæresim in Adrumetino Monasterio a quibusdam fuisse propugnatam: id autem contigisse non occasione Epistolæ Augustini ad Xistum, quam Adrumetum transmiserat Florus; sed occasione libri de Gratia, & libero Arbitrio, quem per Cresconium, & Felicem ad Valentinum, aliosque Adrumentinos Monachos direxerat Augustinus.

X. Ab iis discedimus qui volunt Sedente Cælestino I. hunc errorem emersisse in Galliis: obortæ siquidem tunc temporis controversiæ, non prædestinatianæ hæresis Seminarium fuerunt, sed Semipelagianismi incrementum. Quinto sæculo pravi Prædestinatianorum dogmatis assertorem Lucidum fuisse contendimus. Gothescalcum vero, qui 9. sæculo vixit, licet impudenter admodum se gessisse non negemus, tamen ab hujuscemodi lue immunem fuisse arbitramur.

XI. Positiva Reprobatio solum post finalia prævisa demerita a Deo decernitur: ac impie sentiunt qui cum Calvino reprobationis causam in solam divinam voluntatem refundunt. Huic errori nullatenus affinis est ea Catholicorum opinio, quæ statuit, etiam quoad Fideles adultos admittendam esse ante prævisa personalia demerita reprobationem negativam qua Deus aliquos ad gloriam non prædestinavit solo peccati Originalis demerito: nos tamen ab hac opinione recedimus.

De Angelis:

I. Angelos existere negarunt plures ex veteribus Philosophis, nihil esse existimantes in hoc Mundo, nisi quod sensu, & imaginatione apprehendi queat. In eumdem errorem impegerunt inter Judæos Saducæi dicentes „ non esse resurrectionem neque Angelum, neque Spiritum „ ut habetur Actorum 23. Contra hos postremos, qui Sacras Scripturas admittunt, Catholica veritas de Angelorum existentia ex divina revelatione luculenter ostenditur: contra priores vero naturali ratione suaderi quidem efficaciter potest, non tamen demonstrari.

II. Circa Angelorum naturam anceps diu, & in utramque partem disceptabilis quæstio fuit, an aliquo constarent corpore nec ne, pluribus etiam Ecclesiæ Patribus diversa hinc inde opinantibus. Modo explorata res est, quamvis non absolute tanquam de fide definita, Angelos puros esse Spiritus ex natura sua nullo corpore præditos.

III. Fi-

III. Fide quidem certum est Angelos a Deo conditos esse, at non eadem certitudine constat quando nam, ubi, & quo in statu creati fuerint. Circa primum communis nunc temporis, & vera Theologorum sententia est Angelos cum hoc visibili Universo, non ante fuisse creatos. Circa secundum, in re admodum dubia, probabilius opinantur illi, qui pro loco creationis Angelorum Firmamentum assignant. Ad tertium quod spectat, pro certo habemus Angelos & in naturali beatitudine fuisse creatos, & ab ipso creationis exordio gratia sanctificante donatos.

IV. Præter habitualem gratiam, qua Deus Angelos ab initio exornavit, addidit etiam actualis gratiæ dona, quibus in accepta justitia perseverare possent si vellent, & supernaturalem beatitudinem assequi, a qua peccato superbiæ excidit Lucifer ejusque Gregales.

V. Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, ubi, æternum mansuri, cum reliquis damnatis materiali, corporeo, & perpetuo cruciabuntur igne.

VI. Angelis Sanctis tanquam providis tutoribus clementissimus Deus humani generis curam demandavit: singulis Fidelibus singulos assignavit custodes: neque ab hoc peculiaris tutelæ beneficio Infideles excludi admodum probabile videtur.

De Actibus Humanis:

I. Actus humanos eos hic dicimus, qui ab homine rationis compote diriguntur, ad meritum, vel demeritum imputantur, &, ut ait S. P. N. Bernardus „ æternitatis sunt semina „ Porro, ut tales sint, liberum requirunt in agente voluntatis consensum; & quidem liberum non solum a coactione, sed ea libertate quam vocant indifferentiæ activæ.

II. Libertatem istam & in homine lapso persistere adversus Lutheranos, ac Calvinistas asserimus, & in eodem ad meritum, vel demeritum necessario exigi contra Jansenium defendimus. Falluntur autem Janseniani, seu magis fallunt, cum in suæ hæresis patrocinium advocant S. P. N. Bernardi authoritatem: ea quippe fuit Mellifluí Doctoris constans, & perpetua sententia, quod ubi necessitas est, ibi libertas non est, ubi libertas non est, nec meritum.

III. Ad libertatem de qua hic agimus ultra voluntatis consensum requiritur rationis advertentia, vel aliqualis notitia, ita ut alterutrius defectu involuntarii fiant actus, nec ad meritum, vel demeritum possint imputari. Hinc ignorantia antecedens, & invincibilis, etiam juris naturalis si dari possit, causat involuntarium, & excusat a peccato, quod valet etiam de ignorantia invincibili concomitante, quæ licet actum reddat solum privative involuntarium, sufficit tamen, ut operantem ex ipsa excuset a culpa.

IV. Non sic immunem a peccato agentem reddit ignorantia vincibilis: hæc enim, sicuti solum (nisi sit affectata, vel supina) minuit, non tollit voluntarium, ita & peccatum. Erit vero speciale peccatum distinctum ab eo quod ex ipsa consequitur, si ignorantia circa ea vertat, quæ per se, non mere per accidens, sive ratione operis scire tenemur: si autem sit eorum quorum scientia dumtaxat præcipitur operis adimplendi causa, non erit peccatum ab ejusdem operis omissione diversum.

V. Metus naturalis etiam gravis efficit ut opus ex eo positum sit involuntarium solum secundum quid, & voluntarium simpliciter: unde minuit quidem peccatum non tollit. Concupiscentia, seu passio antecedens sub uno respectu auget voluntarium sub alio minuit; auget quatenus ardentiorem creat in voluntate propensionem erga objectum concupitum, minuit impediendo cognitionem eorum, quæ ab objecto retrahere possunt: secus concupiscentia concomitans, aut consequens, quæ nec voluntarium minuit, nec peccatum.

VI. Propietates actuum humanorum, prout spectantur in ordine morali sunt bonitas, vel malitia, unde meritum, vel demeritum consequitur. Bonitas & malitia actuum desumuntur

ex

ex objecto, fine, & circumstantiis. Hinc asserimus primo unum, eumdemque actum posse simul habere duas bonitatis, vel malitiæ species, unam ex objecto, alteram ex fine: secundo in actu qui ex objecto bonus est, malus ex fine, unicam esse moralitatem, finis nempe malitiam: tertio circumstantiam venialiter malam actui bono superadditam, nec totam ejus bonitatem destruere, nec omne meritum delere.

VII. Ut actio sit ex omni parte bona necesse non est ut ad Deum propter se dilectum referatur, sive ut fiat ex motivo Charitatis initialis proprie dictæ: debet tamen actu, vel virtute in Deum tendere tanquam ultimum finem: unde saltem per se loquendo non dantur actus indifferentes in individuo. Actus exterior in quantum est mera executio actus interioris nullam ei adjungit bonitatem, vel malitiam in ordine ad præmium, vel pœnam essentialem; adjungit tamen persæpe in ordine ad præmium, vel pœnam accidentalem.

VIII. Finis ultimus actuum humanorum est Beatitudo, quæ consistit in solo Deo intuitive viso, & quam qui semel adeptus fuerit, sublata feliciter potestate peccandi, in jugi, & necessario Dei amore conquiescens, perpetuo possidebit extra metum ab ea decidendi positus.

IX. In extrema judicii die resurgent mortui, sua quæque animabus copulabuntur corpora, ac in justis, gloriosis prædita dotibus, ad Beatitudinis consortium assumentur, ut quod fuit passionis socium, sit pro modo suo comparticeps & gloriæ. Beatitudo qua donabuntur sancti, mercedis rationem habebit, præmii, atque bravii: unde non in omnibus æqualis erit, ut voluit Jovinianus, sed cuique major, vel minor retribuetur pro qualitate meritorum.

X. Fastosum non est nomen meriti, ut garriunt Novatores, sed bona sunt opera per gratiam facta, quæ si justificationem præcedant, meritum habent de congruo, de condigno si eam consequantur. Licite in bonis operibus spem collocant justi consequendæ mercedis æternæ; & bene agunt dum propter hujus mercedis retributionem inclinant cor suum ad faciendas justificationes Dei.

XI. Circa conditiones ad meritum requisitas, iis rejectis quæ ab Acatholicis statuuntur, contendimus ad meritum de congruo requiri ut opus sit bonum, supernaturale, idest gratiæ auxilio elicitum, liberum libertate indifferentiæ, & ab homine viatore exercitum: ad meritum vero de condigno, ultra conditiones jam positas, has ulterius necessarias esse dicimus, nempe ut gratuita Dei promissio intercedat, operans sit in statu gratiæ, & ut actus a Charitate imperetur.

XII. Proxima humanorum actuum regula est conscientia, sive judicium actuale practicum, quod habet homo in particulari de honestate, vel malitia operis, quod ei faciendum, vel omittendum proponitur. Quisquis hoc judicium sive rectum, sive erroneum contemnit agens pro libito, peccat, & quidem peccato illius gravitatis quam in ipsa actione, vel omissione apprehendit. Peccat pariter qui dubius de honestate actionis eam exequitur dubio prudenter non deposito.

XIII. Si dubium oriatur ex æquali rationum hinc inde pugnantium pondere, non licet sequi partem libertati faventem, sed tutior est amplectenda. Eo magis id prestandum erit quando opinio tutior fuerit etiam probabilior; & tunc solum liberum est opinionem probabilibus momentis suffultam sequi, sive libertati faveat, sive præcepto, quando nulla operanti obiicitur opinio tutior æque, vel magis probabilis.

De Legibus.

I. QUemadmodum humanorum actuum proxima interna regula conscientia est, ita externa eorumdem proxima norma haberi debet Lex, quæ præsuppositive, ut Scholæ loquuntur, in actu intellectus consistit, formaliter vero in actu voluntatis.

II. Notiſſima eſt Legis diviſio in Æternam, Naturalem, Divinam, & Humanam. De prima egregie Auguſtinus ait: *ut breviter æternæ Legis notionem, quantum valeo, verbis explicem, ea eſt, qua juſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima.*

III. Lex autem Naturalis, quum concipiatur veluti radius quidam Legis Æternæ hominum cordibus impreſſus, ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans, præſcribenſque quid agendum ſit, quidve fugiendum ut conforme vel diforme ipſi humanæ naturæ, tantum firmitatis & ipſa ſortita eſt, ut ejus præcepta ne Divinæ quidem diſpenſationi proprie ſubſint, nec vera in iis locum habere poſſit epicheja. Si ergo Dei juſſu quandoque in ſcripturis naturali Legi per diſpenſationem derogatum videtur, id non niſi mutata præcepti materia eveniſſe dicendum eſt.

IV Quo facilius homines illum, ad quem diriguntur, finem aſſequi poſſent, in ſubſidium naturalis, Lex poſitiva Divina promulgata eſt, quæ in Veterem & Novam, ſive Moſaicam & Evangelicam rite diſpeſcitur. Antiquam Legem Auctori Deo adſcribendam non eſſe, eamque nec bonam fuiſſe nec ſanctam cum priſcis quibuſdam Hæreticis recentiores Anomæi nituntur oſtendere. Sed inanes eſſe eorum conjecturas, & ratiunculas, quas congerunt, nemo non agnoſcit.

V. Quum Lex poſita fuerit, donec veniret ſemen, ideſt Chriſtus, hinc adveniente Meſſia deficere debuit, quod vel ab ipſis Prophetis prænunciatum eſt. Iſthæc igitur Lex naſcente Chriſto ægrotare cœpit, ipſo autem moriente, ea quoque in ſe mortua eſt: ab hoc proinde tempore, quo abrogationis illius origo ſtatuitur, nullam in ſe habuit obligandi vim, & facultatem.

VI. Ne autem Lex improbata potius, quam terminata videretur, utque Synagoga cum honore deferretur ad tumulum, legalia præcepta quantumvis mortua, inculpate tamen poterant obſervari, quo uſque ſaltem per totum Orbem Evangelica lex foret ſufficienter promulgata. Unde non prudenti ſimulatione (ut olim viſum Hieronymo) ſed ſincero animo ab Apoſtolis ſervata fuiſſe Legalia defendimus; ac Cæpham, quem Paulus reprehendit, non alium a Petro Apoſtolorum Principe habendum eſſe, neque ficte, & ex condicto, ſed vere, & ex animo redargutum fuiſſe, cum Auguſtino ſentimus.

VII. Antiquæ Legi altera ſucceſſit longe perfectior, Evangelium nempe, in quo ideo nonnulli veram contineri legem inficiantur, quo facilius, licentiuſque ſuis indulgeant cupiditatibus. Singularis autem Evangelii ſupra veterem legem prærogativa in eo merito collocatur, quod ſupernaturalem gratiam adnexam habeat.

VIII. Poſt Evangelicam legem ſpectanda inſuper venit Lex humana, quæ eſt ordinatio rationis ſtabilis ad publicum bonum condita, & promulgata ab eo, qui Politicæ, vel Eccleſiaſticæ communitatis curam habet cum intentione ſubditos obligandi. Dari porro in hominibus æquam & legitimam condendarum legum civilium & eccleſiaſticarum poteſtatem, earum etiam, quæ obligent in conſcientia, defendimus contra Novatores, qui ex veſana, malignaque de Epiſcopis, & de Eccleſia maledicendi prurigine, poteſtatem hanc in dubium revocant. Quin & actum internum directe, & per ſe ab Eccleſia præcipi poſſe propugnamus.

IX. Quamvis, ut leges obligent, earum promulgatione opus ſit, quæ varia eſt juxta varias locorum conſuetudines, falluntur tamen, qui a populorum acceptatione illas pendere contendunt. Abſque ea igitur ſubditi univerſi Legibus obſtringuntur; quibus tenentur etiam ipſarum Latores, licet diverſa a ſubditis ratione. Iſti enim vi coactiva, illi vero vi ſolum directiva ad Legum obſervantiam obligati cenſentur.

X. Quum *extra Territorium jus dicenti non pareatur impune*; hinc plane ſequitur Peregrinos, & Advenas patriarum legum obſervantiæ (nulla tamen intercedente fraude) extra patriam non teneri; ſed legibus illius, in qua morantur, Provinciæ obſtringi. Quumque homines exleges eſſe nec poſſint, nec debeant, Vagis propterea leges illas ſequi incumbit, quæ in locis, ubi degunt, ſolent obſervari.

XI. Quia

XI. Quia in ferendis legibus æquitatis menſura attendenda eſt, idcirco ſi penſatis omnibus, præcepti materia levis ſit, gravis apponi non poterit obligatio; at vero quia præcepti obligatio a ſuperioris pendet arbitrio, in materia etiam gravi, poterit ſub levi Legifer obligare.

XII. Conſuetudo, optima cenſetur legum interpres: unde ſi rationabilis ſit, & honeſta, atque communi bono utilis exiſtat, nec vero naturali; ſeu Divino juri adverſetur, vim legis ipſa nanciſcitur, & exiſtentem aliquando abrogat legem. Nemini tamen dubitandi locus eſſe poteſt, quin per legem conſuetudo valeat abrogari.

XIII. Ad commune bonum feruntur leges. Si ergo per mutationem materiæ, vel circumſtantiarum inutiles fiant, aut adæquata illarum cauſa totius communitatis reſpectu deſinat, leges ipſæ ceſſabunt.

XIV. Legis terminos explicatione ſæpius indigere compertum eſt; imo ſi talis emergat circumſtantia, in qua prudenter, ac rationabiliter de Legiſlatoris voluntate præſumatur, epicheja uti licebit.

De Vitiis, & Peccatis.

I. PEccati nomine venit legis Divinæ violatio libera, ſive actus libere factus, vel omiſſus contra legem æternam Dei; ex qua definitione colligitur illud omne, quod voluntarium, & liberum tollit, excuſare a peccato; illud vero, quod minuit, augetve voluntarium, aut liberum, ceteris paribus minuere, vel augere peccatum.

II. Occaſionem peccati proximam eam dicimus, quæ ſive ex ſe, ſive attenta ſpeciali peccantis infirmitate, & diſpoſitione hominem exponit morali, ſive probabili peccati periculo; non autem eam ſolum, ut plures contendunt, in qua quis poſitus, ſemper, vel fere ſemper, aut plerumque, ſeu ordinarie peccat.

III. Diſtinctio peccatorum ſpecifica deſumi non debet ab oppoſitione legi æternæ notabiliter diverſa, neque ex præceptorum diverſitate; ſed ex quo peccata opponantur vel diverſis virtutibus, vel diverſis virtutis ejuſdem officiis, vel demum eidem virtuti, diverſo, vel contrario modo.

IV. Omnia peccata inter ſe paria non ſunt, & æqualia, ſed quædam graviorem merentur pœnam, quædam leviorem, & difficilius alia, alia facilius remittuntur. Inæqualitas hæc, ſeu gravitas peccatorum generatim deſumitur ab objecto, fine, & circumſtantiis, prout legi diſconveniunt, vel rationali naturæ.

V. Et ſi certum apud omnes eſt ad peccatum requiri advertentiam ex parte rationis, & liberum ex parte voluntatis conſenſum; non conveniunt tamen Theologi, cujus generis conſenſus, & advertentia ſit neceſſaria. Illorum nos opinioni ſubſcribimus, qui ad peccandum lethaliter neceſſariam dicunt advertentiam formalem, & expreſſam non quidem malitiæ objecti, ſeu actus, ſed alicujus inducentis dubiam ſaltem, & confuſam malitiæ cognitionem.

VI. Ob Adami inobedientiam, quotquot homines ab hominibus conſueta lege gignuntur, peccatores conſtitui, dogma Fidei eſt, quod adverſus Pelagianos, alioſque Hæreticos firmiſſime ex Scripturis, & Traditione probatur. In quo autem conſiſtat originalis peccati natura, aut quomodo peccatum hocce ex Adamo diffundatur in poſteros, malumus cum Auguſtino diſcere, quam definire.

De Justitia , & Jure .

I. JUstitia , prout peculiaris est virtus quæ inter Cardinales recensetur , recte definitur a Juris peritis quod sit ,, perpetua , & constans voluntas jus suum unicuique tribuendi ,, Dividitur in commutativam , & distributivam ; prima est virtus unicuique tribuens quod suum est attenta æqualitate rei ad rem juxta proportionem , quam arithmeticam dicunt , altera quæ in distributione onerum , bonorumve communium proportionem servat geometricam .

II. Violatæ Justitiæ distributivæ reus efficitur quicumque , vel in partitione onerum aliquos plus æquo gravat , ut aliis parcat , vel in bonorum communium distributione , ut quos maluerit abunde reficiat , alios vacuos dimittit . Lethaliter quoque peccant contra eamdem virtutem , non solum qui ad Episcopatum , Ecclesias Parochiales , & alia majora Ecclesiastica beneficia eligunt , aut præsentant minus dignum digniori posthabito ; sed etiam qui id præstant in collatione officiorum sæcularium , quæ gravioris sunt ponderis . Ita autem contra justitiam distributivam delinquunt , ut commutativam etiam lædant , & restitutionis onere graventur , quoties vel detrimentum Communitati inde resultet , cujus incolumitati ex contractu , vel quasi contractu prospicere tenentur , vel cujuscumque Privati jus stricte sumptum lædatur .

III. Præcipuum juris fundamentum est dominium , quod non amittitur per peccatum , aut infidelitatem , & cujus capaces sunt parvuli , & amentes . Habet homo dominium suæ famæ , itaut possit jure suo ablatam repetere , & aquisitam citra injustitiam prodigere , modo id in alterius detrimentum non vergat : non sic ei competit absolutum dominium in propriam vitam .

IV. Homo alterius hominis dominus esse potest , quatenus ei licet servum facere , vel habere , nisi id peculiari lege vetetur . Hoc tamen jus dominorum in servos ultra rationabile servitium non extenditur ; & si sermo sit de servis bello captis , licite possunt isti , jure post liminii fugam arripiendo , se pristinæ libertati restituere .

V. Religiosi , in communi , veram habent bonorum suorum dominium : Licite possunt Clerici , ii etiam quibus ex patrimonio ad victum abunde suppetit, eo non uti , & se alere ex bonis Ecclesiasticis ; liberum quoque , & absolutum dominium ipsis competere nobis videtur in bona omnia quasi patrimonialia , sicuti & in illa quæ parcius vivendo colligunt ex eis , quæ tuta conscientia in sui sustentationem impendere possent .

VI. An vero dominium quoque aquirant Clerici redditTuum Ecclesiasticorum , quæ congruæ eorum sustentationi superfluunt , varia est Theologorum , & Canonistarum sententia . Illa nobis probabilior apparet , & qua talem amplectimur , quæ decernit Clericos horum reddituum dominos non esse , sed dispensatores , adeoque teneri ex justitia eos pauperibus erogare , vel in alios pios usus impendere , itaut , si secus fecerint restituendi vinculo obstringantur .

VII. Legitima præscriptio justum pro utroque foro titulum præbet rem præscriptam possidendi . Nullum in rem inventam aquiritur dominium ab Inventore , sed vel domino reddenda est , si appareat , vel si post sufficientem inquisitionem non innotescat , debet inter pauperes distribui , aut ad alios pios usus deputari .

VIII. Restitutio in re , aut in voto , si potestas desit , necessaria est ad salutem . Ad inducendam restitutionis obligationem pro damno illato extra casum contractus , vel quasi contractus requiritur culpa theologica gravis : neque qui ex culpa levi alteri grave damnum intulit videtur obstringi posse ad reparationem totius , ant partis , saltem notabilis . Supposito vero contractu ex culpa levi juridica resultat restitutionis onus , si contractus cedat in commodum utriusque : sufficit vero ad id culpa levissima , vel requiritur culpa lata , prout vel contractus cedit in commodum solius delinquentis , vel illius tantum , cui damnum obtingit .

IX. Damni

IX. Damni compensandi obligatio oritur ex quo quis alium impediat a consecutione boni eidem ex justitia debiti. Idem dicendum est si bonum alteri quidem debitum non sit, sed tamen ab eo aquirendo dolo, fraude aliove injusto medio prohibeatur. Si vero qui alteri gratuitum donum, vel aliud quodcumque beneficium, similiter gratuitum conferre paratus erat, solis precibus, & suasione, qualibet præcisa fraude, vi, vel dolo, ab hoc præstando removeatur, utcumque pravo nocendi animo id fiat, nulla inde exurgit reparationis obligatio.

X. Cui sat facultatum non suppetit, ut creditoribus omnibus ex integro satis faciat, eum ordinem in debitorum solutione servandum esse, communiter a Theologis asseritur, ut prius adimpleantur debita ex delicto, vel titulo oneroso contracta, quam ex titulo gratuito; tum creditores qui privilegio gaudent, pro ratione privilegii, iis anteponantur, qui privilegium non habent; postremo debita de quibus certo constat prius solvantur quam ea de quibus dubium est an debita sint. Dissensio est tamen an domino certo prius restituendum sit quam incerto, licet pro utraque parte de debito constet; an debita ex delicto sint prius solvenda quam quæ ex justo titulo prodeunt; vel viceversa; & utrum res credito vendita, in propria specie apud debitorem extans, ante omnia creditori reddi debeat: circa quæ hæc nobis verosimiliora videntur, nimirum in primo casu prius restituendum esse domino certo, quam incerto; in secundo casu nullum servandum esse anterioritatis, vel posterioritatis ordinem, sed unicuique pro rata solvendum; in tertio vero casu, dempta peculiari lege, vel legitima consuetudine, nullum jus prælationis venditori competere supra alios creditores.

XI. Non licet rem a fure emptam eidem reddere ad recuperandum pretium datum, quando moraliter certum sit in manu furis domino suo esse perituram.

XII. Licitum esse malefactores, eos etiam, quibus in Scripturis capitalis pœna expresse non decernitur, publica auctoritate morti addicere, nonnisi perperam a quibusdam negatum fuit. Omnia quoque jura permittunt injustum aggressorem interimere propriæ vitæ tuendæ causa, servato moderamine inculpatæ tutelæ: non sic vero ad servandam famam, honorem, vel bona temporalia etiam magni momenti, quamvis aliter servari non possint.

XIII, Detractio, & judicium temerarium de re gravi proximum infamante, etiam si opinativum sit, lethalia sunt peccata contra justitiam: non tenemur tamen dubia de personis semper in meliorem partem accipere.

XIV. Quamquam qui alteri injuste nocuit in bonis Superioris ordinis, teneatur damna realia inde emergentia reparare, & in omnibus, quantum potest læsum in pristinum restituere: nullo tamen satis valido fundamento asseritur teneri quoque, si aliter nequeat, ad compensandam per bona ordinis inferioris damna illata in bonis ordinis superioris.

De Contractibus.

I. Mutua obligatio, quæ ultro citroque paritur in contractu, ex vero contrahentium consensu derivat; & nullus erit contractus nisi signis externis interior quoque jungatur assensus. Hinc ex defectu necessarii consensus irritus, & inanis est contractus, si error vel dolus circa substantiam rei versetur; secus si solum circa qualitates, vel accidentia. Illi vero contractus quibus error, vel dolus causam dedit, validi quidem sunt tam naturali jure, quam positivo; infirmi tamen, cum ex legum dispositione ad arbitrium partis deceptæ rescindi possint.

II. Metus gravis ab agente intrinseco, vel extrinseco, naturali, vel libero, juste, sive injuste incussus, etiam ad extorquendum consensum, verum consensum non destruit, nec attento jure naturali, per se loquendo, contractum invalidum reddit. At jure positivo plures contractus, ut matrimonium, professio religiosa, promissio vel traditio rerum Ecclesiæ, ex metu injuste incusso ad extorquendum consensum initi nulli declarantur & irriti; alii vero pro nutu illius qui metum passus est, rescindendi.

 III. In-

III. Inter conditiones positivo jure in contractibus requisitas, aliquæ contractum solum illicitum reddunt, aliæ nullum: istæ, si desint, ita irritus est contractus, ut ne naturalem quidem obligationem pariat. Juramento firmatur contractus jure positivo nullus, si talis declaratus fuerit solum in gratiam boni privati, non firmatur, si immediate lex eum irritaverit proptor bonum commune: juramentum autem, sive contractum firmet, sive non, semper validum erit, & servandum, quoties sit de re licita.

IV. Peccat, & ad restitutionem tenetur, qui in emptione vel venditione limites justi pretii excedit. Si res quæ venalis exponitur, occulto laboret vitio, quo vel noxia fiat, vel inutilis ad finem propter quam emitur, debet venditor, etiam non rogatus, vitium emptori aperire; secus vero, si rem nec noxiam reddat, nec notabiliter minus utilem: tunc quippe satis est, ut pro ratione vitii de pretio minuat. Potest etiam qui mercium pretium brevi auctum, vel diminutum iri privata notitia resciat, citra injustitiam illas, antequam valor augeatur, vel minuatur, eo, quod tunc obtinent, pretio sibi comparare, vel vendere.

V. Illicita sunt monopolia privata auctoritate facta. Hinc justitiæ leges prævaricantur qui, vel merces omnes congerunt, ut emptores ad se compellant, & eo quo libuerit pretio vendant, vel congestas supprimunt, ut ficta inducta inopia earum pretium augeatur. Peccant quoque contra justitiam mercatores, qui mutua conventione statuunt, ne merces nisi summo, utcumque alias justo, vendantur pretio.

VI. Quælibet usura, quæ ex mutuo vi mutui percipiatur, sive modica, sive immodica, sive a divitibus, sive a pauperibus exigatur, juri naturali, divino, & humano contraria est, & a Patribus improbatur.

VII. Si debitæ serventur conditiones, justum præbent titulum aliquid exigendi supra sortem in mutuo lucrum cessans, & damnum emergens, probabile, & extrinsecum sortis periculum, necnon pactum pœnæ conventionalis mutuo additum. Pariter si mutuans sortis periculum in se suscipiat, potest eo titulo, habita ratione periculi, citra vetitam usuram aliquid supra sortem accipere.

VIII. Fœneratitii censendi sunt ii contractus, in quibus vi mutui obligatur mutuatarius ad remutuandum inposterum quoties postulatus fuerit, ad emendum ex mutuantis officina, vel aliud quodcumque onus ei imponitur pretio æstimabile, & alias indebitum. Eadem illiciti fœnoris labe sordescunt emptiones, & venditiones, in quibus, præcise, vel ob anticipatam solutionem minus justo pretio, vel ob eandem solutionem dilatam plus æquo, merces emuntur, aut venduntur.

IX. Consimili de causa, non licet chirographa certæ & facilis solutionis minoris emere quam contineant, eo quod nonnisi post datum tempus exigi possint. Contractus quoque, quem Moathra appellant, si cum eadem persona fiat, pacto retrovenditionis prævie inito, tanquam injustus jure rejicitur.

X. Ad mutuum palliatum referenda sunt cambia quæcumque sicca, quæ propterea tamquam usuraria merito S. Pius V. proscripsit. Cambium quod obliquum dicunt, quoties notum sit contrahentibus pecuniam accepto mutuo respondentem non esse ad nundinas mittendam, & in cambia activa erogandam, in purum, putumque fenus resolvitur specioso cambii nomine tectum.

XI. Improbandum non videtur pretium pro fidejussione acceptum, dummodo commensuretur quantitati debiti, & qualitati periculi. Immerito census realis plurium Summorum Pontificum judicio approbatus, & omnium nationum consuetudine receptus, injustus a nonnullis censetur: & non solum veteres census sibi comparare licitum est, sed & novos instituere.

XII. Jure quidem simplicis societatis contractus tanquam legitimus admittitur: at si ei alii duo addantur, nempe assecurationis pecuniæ in societatem collatæ, & venditionis lucri majoris incerti, pro lucro minori certo, idque cum socio fiat, æquitatis limites egreditur, & in vitiosum contractum degenerat.

DE

De Sacramentis in Genere .

I. SI quam tradunt Novatores Sacramenti definitionem, juxta verborum corticem attenderimus, sensum non videtur habere a Catholica fide alienum; ab illa tamen cavendum est quam maxime, cum sub ejus verbis delitescat pravi dogmatis dolus: quippe qui solam movendi, excitandique externam vim, & objectivam, nullam vero ad sanctificationem hominis efficiendam in Sacramentis, vim agnoscant.

II. Inter ceteras Sacramenti definitiones, quarum plures apud Catholicos Magistros legas, non quidem sensu, quem unum omnes habent, eumque orthodoxum, sed verbis inter se discrepantes, ea adoptari debet, quæ colligitur ex Catechismo Concilii Tridentini, estque hujuscemodi. *Sacramentum in communi est signum sensibile a Deo institutum vim habens tum significandæ, tum efficiendæ in homine sanctitatis, & justitiæ*. At novæ Legis Sacramentum pressius definiri potest: signum sacrum, visibile, permanens, ex Divina institutione invisibilem gratiam significans, & ex opere operato producens.

III. Sacramentorum existentia in quadruplici, qui distingui solet, spectari potest hominum statu. Horum primus est innocentiæ, legis naturæ alter, quem excipit status legis scriptæ, ac demum legis gratiæ. Quo tempore in Protoparentibus viguit innocentiæ puritas, nulla extitisse Sacramenta decernit, & jure quidem optimo major Theologorum pars. Nullis quoque adjutos fuisse Sacramentis homines in lege naturæ viventes, propugnant ex iisdem Theologis plures. Sed plures itidem ex iis, quorum sententia nostro judicio longe probabilior est, contendunt non solum pro parvulis in eo statu datum fuisse remedium contra originale peccatum; verum & pro adultis aliqua instituta fuisse Sacramenta.

IV. Potiori jure affirmare Nobis licet in Lege scripta extitisse aliqua veri nominis Sacramenta. Inter hæc principem tenet locum Circumcisio, quam non eo tantum fine dedit Deus Abrahamo, ejusque posteris, ut per eam a reliquis gentibus distinguerentur; sed ut remedium etiam, quo originalis eorum culpa deleretur.

V. Hanc autem Circumcisionis ceremoniam, cum Deus Abrahamo injunxit, novam prorsus tunc fuisse, nec apud ullos, ne quidem apud Egyptios usitatam contendimus contra Herodotum & Diodorum Siculum, quos in hac parte patrocinatur Joannes Marshamus. Abraham itaque omnium primus circumcisus est; ex quo, non autem ab Egyptiis, ad ejus posteros, & Judæos dimanavit circumcisio.

VI. Debere, imo & reipsa in nova Lege existere Sacramenta, si Svvenchfeldum, aliosque perpaucos excipias, tamquam certum a Christianis omnibus habetur: atque in hac re Lutheranos, Calvinistas, ceterosque Hæreticos habemus nobiscum consentientes. Sed qui horum Sacramentorum numerus? In hoc determinando dissideant inter se Novatores: Catholicorum constans & certa sententia est Sacramenta nec plura esse, nec pauciora quam septem. Hæc sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium.

VII. Inter hæc Sacramenta locum nusquam habuit, nec habere potest Lotio pedum; imo neque ad Baptismi Sacramentum essentialiter spectat: sed ideò fuit instituta, ut exemplum foret, & exercitium humilitatis. Nec alia fuit circa Lotionem pedum sententia Sancti Ambrosii, aut S. P. Bernardi, quos contra nonnullorum criminationem suscipimus vindicandos.

VIII. Quorundam dumtaxat novæ Legis Sacramentorum Christum esse immediatum Auctorem, non omnium, tradiderunt olim ex illustrioribus Scholasticis non pauci: hos tamen errasse arbitramur, cum dubitare non liceat de immediata illorum omnium a Christo institutione. Id autem, & si pro certo habemus, non credimus tamen ad Fidei dogma pertinere.

IX. Circa Sacramentorum Miniſtrum, quanta Lutheri impudentia, qui inter eos vel ipſum Diabolum accenſere non veretur! Rectiſſime igitur ſtatuit communis Catholicorum ſententia ſolum hominem, eumque viatorem eſſe quidem poſſe ordinarium Sacramentorum Miniſtrum: non ſingulos tamen prorſus homines quorumlibet Sacramentorum idoneos eſſe Miniſtros, ſed, excepto Baptiſmo in caſu neceſſitatis, illos tantum, qui per legitimam ordinationem miniſterii poteſtatem, ejuſque uſum acceperunt.

X. Sacramenta, ritu tamen Evangelico conſecrata, & dummodo nihil eorum deſit, quæ ad ipſorum conſtitutionem ſunt neceſſaria, etiam ſi ab improbis, ſceleſtiſque Miniſtris, etiam ſi ab Hæreticis, aut Schiſmaticis conferantur, valida ſint, ac legitima; quod contra Rebaptizantes antiqua docet Eccleſiæ traditio.

XI. Ignorat nemo, quot olim in Eccleſia excitaverit turbas quæſtio de fide Miniſtri, affirmantibus hinc Cypriano, Firmiliano, pluribuſque Afris, & Orientalibus Epiſcopis, Sacramenta ab Hæreticis collata nulla eſſe, & irrita; inde vero cum ceteris Epiſcopis reluctante Stephano Romano Pontifice, quem inter & Rebaptizantes revera efferbuiſſe ſimultates, tamquam certum ratumque habemus: quidquid in oppoſitum ingenioſe ſcripſerit Raymundus Miſſorius, contendens totius Rebaptizantium hiſtoriæ architectum fuiſſe Arianum virum Euſebium Cæſarienſem.

XII. Antequam tamen in utramque partem hæc agitaretur controverſia, Anabaptiſmum non ſolum docuerant, exercuerantque Cathari, ſeu Novatiani, quos poſtea ſecuti ſunt Donatiſtæ; ſed rebaptizandos eſſe Hæreticos, cum ad Catholicam revertuntur Eccleſiam ſecundo deſinente ſæculo tradiderat præter Tertullianum, Agrippinus Cartaginenſis Epiſcopus. Longe etiam antiquior quam in Africana, videtur fuiſſe hæc praxis in Eccleſia Orientali; ſi tamen vera ſunt ex omni parte, quæ tradit Firmilianus in epiſtola ad Cyprianum inter Cyprianicas 75.

XIII. Quum perſuaſum foret Orientalibus, & Afris, Cypriano in primis, rationum pondera ſui ipſorum favere ſententiæ, Stephani Decreto acquieſcere recuſarunt. Id autem uſque adeo Romani Pontificis animum commovit, ut niſi ab errore reſilirent, excommunicationem contra eos laturum ſe minitaretur. Proditum ab aliquibus eſt reipſa a Stephano in Rebaptizantes vibratum fuiſſe excommunicationis telum; ſed noſtra ſententia eſt eum intra minas dumtaxat hæſiſſe.

XIV. Stephanus Anabaptiſmum improbans, non omnium promiſcue Hæreticorum Baptiſma approbavit, quod S. Pontifici affricant plures ex Novatoribus, & nonnulli etiam ex audacioribus Catholicis; immerito tamen, cum ſuo ipſe Decreto non aliud adoptaverit Baptiſma, quam verbis Evangelicis conſecratum.

XV. Redintegrata Sedem Apoſtolicam inter & Orientales, Afroſque Epiſcopos pace, non ideo tamen ſtatim ceſſavit error; verum apud nonnullos ex illuſtrioribus Præſulibus cuſtoditus adhuc fuit. In hunc cenſum veniunt Dionyſius Alexandrinus, Baſilius, Athanaſius, Optatus Milevitanus, & Cyrillus Jeroſolymorum Antiſtes. Licet autem horum Patrum dicendi rationem, præſertim vero Athanaſii, Optati, & Cyrilli emollire aliqui tentaverint, fatendum eſt tamen ſcrupulum omnem de illorum mente ab iis non tolli.

XVI. Nonnullorum etiam Theologorum uſque adeo proceſſit bona excuſandi voluntas, ut quam mordicus defendit Cyprianus, & Firmilianus opinionem de rebaptizandis Hæreticis, ante mortem demum utrumque retractaſſe cenſuerint. Verum illorum rationes tanti Nobis non videntur, quæ huic retractationi gradum aliquem probabilitatis valeant conciliare. Plura quidem ad utriuſque, & maxime ad Cypriani excuſationem afferri poſſunt, cur a concepta ſemel opinione non duxerint eſſe recedendum; ſed eos aliquando reſipuiſſe, plane non conſtat.

XVII. Quandoquidem Auguſtinus ſæpe meminit plenarii totius Orbis Concilii, in quo definita eſt, & confirmata Catholica veritas circa Hæreticorum Baptiſma, inquirere ſolent plu-

plu.

res, quando est ubi nam gentium celebratum sit hocce Concilium. Si Launojum audias, quem haud pauci sequuntur, Augustinus non aliud iis verbis connotavit, quam Arelatense primum anno 314. celebratum; si vero Joannem Nicolai, aliosque interroges, respondebunt S. Doctorem indicare voluisse Nicænum generale anno 325. convocatum. Cui ergo adhærendum? Nemini sane per nos, quippe qui in hac quæstione judicium nostrum libenter suspendimus. Si S. Augustinus, quod facile potuisset, necessarium non duxit, vel noluit proprio illud nomine connotare, cur nos adeo soliciti in eo determinando esse debemus?

XVIII. In oppositum Rebaptizantium errorem turpiter lapsi sunt Lutherus, & Calvinus cum eorum gregalibus autumantes valere Sacramentum cum irrisione, & subsannatione, & si fieri potest, absque ulla Ministrantium deliberatione, & proposito collatum. Contra hujusmodi Hæreticos defendunt, & merito Catholici omnes ad Sacramenti validitatem necessariam esse intentionem Ministri, qua non irrisorie & mimice operetur, sed revera in animo proponat facere, quod facit Ecclesia.

XIX. An vero ad ejusdem Sacramenti valorem ea sufficiat intentio, qua Minister ritum hunc, quem facit Ecclesia, serio & attente peragere vult, tamet si ritum eundem intus irrideat, vel detestetur; nec ex iis, quæ facere vult Ecclesia, quidquam aliud facere velit, quam certa verba, certam supra materiam pronunciare, quæ genuina est Catharini sententia, plurimum inter se diffident Theologi. Nobis tamen hæc non probatur, qui in ea versamur opinione ad Sacramenta valide conficienda internam requiri intentionem, qua quis externum ritum sic frequentat, ut formaliter ritum Ecclesiæ, vel in Ecclesia Sacrum velit celebrare.

XX. Haud dubium, quin intentio hujuscemodi, si actualis fuerit, optima sit, & quam maxime commendanda: non est tamen ad validam Sacramenti confectionem necessario requisita, sed illud plane subsistit, quum a virtuali etiam intentione Minister dirigitur, non sic vero, si ejus intentio habitualis tantum sit, vel interpretativa. Diversimode se habet res in suscipiente adulto, in quo ad Sacramentum, ejusque characterem recipiendum intentio hæc interpretativa ultro sufficit.

XXI. Si Sacramenta in se ipsis spectentur, statim se se offert eorum materia, & forma, quæ partes sunt, quibus eadem perficiuntur. Quodlibet igitur novæ Legis Sacramentum rebus tamquam materia constat & verbis tamquam forma. Verba autem, quæ formam Sacramentorum constituunt, promissionis non sunt, vel concionis, quod oggerunt Novatores, sed tantummodo Consecrationis.

XXII. Sive Sacramentorum materiam & formam in genere dumtaxat, sive in specie insuper determinaverit Christus, quod probabilius existimamus, summo studio cavendum est, ne in Sacramentis conficiendis, quidquam vel circa materiam, vel circa formam immutetur eorum, quæ ab Ecclesia servari solent. Quælibet enim, quantumvis accidentalis, quæ in iis fiat, alteratio, illicitam reddit Sacramenti collationem; quælibet vero substantialis, quæ introducatur, immutatio, Sacramentum irritum reddit & cassum.

XXIII. Gratia sanctificans præcipuus est Sacramentorum effectus, iisque omnibus communis. Gratia hæc alia est prima, qua homo a peccatis justificatur, ut in Baptismo, & Pœnitentia: alia est secunda, qua in sanctitate crescit, ut in reliquis Sacramentis. Præter sanctificantem, hæc Sacramentalem etiam producunt gratiam, quæ adnexum habet jus ad gratias actuales, quibus Sacramenti finis obtineri possit.

XXIV. Quam conferunt Sacramenta novæ Legis gratiam iis, qui obicem non ponunt, conferunt, ex opere operato. Utrum vero hanc producant, vel moraliter, vel physice, vel altero quolibet simili modo, aliis determinandum relinquimus.

XXV. Alter Sacramentorum effectus est character, quod est signum quoddam indelebile, & spirituale, quod fide certum est imprimi in Anima a tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine; quæ proinde vi ejusdem iterari non possunt, ex reliquis vero quædam possunt, quædam etiam debent.

XXVI. In Sacramentorum administratione plures ceremonias Catholica Ecclesia non absque prudenti consilio præscripsit servandas, quæ mysticam ut plurimum, & symbolicam continent significationem. Ceremonias hasce carpere & irridere non cessant Novatores, quibus nihil eorum sapit, quod in Catholica Romana Ecclesia usu receptum sit. Nos tamen eas non solum contemni absque crimine non posse, sed nec pro libito mutari a quopiam posse, aut omitti defendimus.

De Baptismo.

I. INter novæ Legis Sacramenta primum obtinet locum Baptismus, nedum ordine, verum etiam necessitate. Sacramenti hujus institutio ad illud tempus referri probabilius debet, quo in Jordanis flumine a Joanne Baptizatus Christus, suæ purissimæ carnis contactu aquas sanctificavit, deditque illis virtutem eam producendi gratiam, quæ in Baptismo confertur; qui propterea vel ex hoc solo capite longe præstabat Præcursoris ipsius Baptismo.

II. Ante Christi mortem, lex Baptismi, licet utilis foret, non tamen obligabat; eaque tunc solum obstringere cæpit, quum per Apostolos sufficiens facta fuit Evangelii promulgatio.

III. Sicuti in ceteris, ita & in hoc Sacramento duplex materia, remota & proxima distingui consuevit. Sola naturalis, sive elementaris aqua est remota Baptismi materia, eaque necessaria. Non licet tamen Ministro, excepto necessitatis casu, communem aquam adhibere, sed illa aqua uti is debet, quæ solemniter in Ecclesia fuerit prius consecrata.

IV. Proxima Baptismi materia est ablutio, quæ juxta temporum diversitatem diversimode etiam in Ecclesia obtinuit. Per duodecim priora sæcula collatus ut plurimum Baptismus fuit immersione, & quidem trina: quem morem in solemni ejus administratione adhuc servat Ecclesia Græca. A duodecimo autem sæculo immersioni substitui cæpit infusio in Latina Ecclesia in qua etiam num subsistit. Hinc liquet trinam immersionem ad Sacramenti substantiam non pertinere, illudque æquo modo validum esse, sive ablutio fiat per immersionem, sive per infusionem, sive etiam per aspersionem.

V. Absoluta Baptismi forma: *Ego te baptizo &c.* haud dubium, quin antiquissima sit, & legitima. Illa similiter, quæ apud Græcos obtinet, quæque enuntiativa est, ut valida a Nobis defenditur, nec ab ea, quæ apud Latinos in usu est, substantialiter discriminatur.

VI. Ad Baptismi valorem requiritur, tum expressio actionis baptizandi, tum etiam distincta Trinitatis invocatio: alterutra enim harum conditionum in Baptismo deficiente, Baptismus ipse irritus evadit, ac nullus. Ea propter ne Apostolos quidem, quidquid in oppositum opinentur alii, in solo Christi nomine aliquando baptizasse censemus.

VII. Tantæ porro necessitatis est Baptismus, ut extra casum Martyrii, quod ejus vices suppleat, nemo absque illo sive in re, sive saltim in voto salutem consequi possit. Ne igitur tam necessarium ulli umquam deesset remedium, indulgere voluit Deus, ac permittere, ut necessitate premente quilibet homo, hæreticus licet & infidelis, Sacramentum hoc posset administrare. Ubi vero nulla urgeat necessitas, ordinaria illius ministrandi solemni ritu potestas in Episcopis primario residet, quæ Præsbyteris quoque commissa est, non tamen absque Episcopi auctoritate. Baptismum eodem modo conferre quidem valent etiam Diaconi, sed ex speciali dumtaxat delegatione.

VIII. Omnis homo non baptizatus, cujuslibet ætatis ille fuerit, vel sexus, idoneum est Baptismi subjectum. Tantum vero abest, ut non liceat Infantes ante rationis usum salutari unda abluere, quod in Catholicis reprehendunt Valdenses, aliique Hæretici; quin e contra hæc praxis optima sit, atque in non modicam cedat & parvulorum, & Ecclesiæ utilita-

lita-

litatem. Id autem, salva æquitate, fieri non videtur infantibus Infidelium civiliter tantum Christianis Principibus subditorum, si invitos hos esse constet. Excipiendæ sunt tamen nonnullæ circumstantiæ; sed maxime si Parvulus in imminentis mortis periculo constituatur.

IX. Quum nemo renasci possit ex aqua & Spiritu Sancto, quin sit natus; hinc si Infantulus materno in utero adhuc claudatur, utrumque grave & imminens sit mortis periculum, ei succurri non potest vel periclitantis matris ablutione, vel delata medio siphunculo ad delitescens corpusculum aqua. Nisi ergo Infantes aliquam sui partem emiserint, nullo modo sunt baptizandi; sicuti neque Monstra, quæ humanam non referant speciem.

X. Olim solemni Baptismo conferendo, duo tantum tempora, Paschæ, & Pentecostes, assignata fuisse ex vetustis Ecclesiæ monumentis apertissime liquet. Ex iisdem constat pariter Adultos non ante Sacro Fonte fuisse expiatos, quam tres Catechumenorum classes, Audientium scilicet, Genuflectentium, & Competentium laudabiliter absolvissent.

XI. Baptismi effectus est sanctificantem gratiam inducere, quæ hominem regenerat, illuminat, eumque constituit Filium Dei adoptivum. Delet proinde in omnibus illud quod ex vitiata origine contractum est crimen: & in adultis peccata etiam actualia, tum quoad culpam, tum quoad pœnam. Imprimit præterea Baptismus in anima spiritualem, & indelebilem characterem, vi cujus, semel rite collatus, iterari non potest.

XII. Contingit nonnumquam, ut Baptismi Sacramentum nihil prosit adultis ad remissionem peccatorum; & ad gratiam consequendam; si nempe in Hæresi, vel Schismate, aut ficto animo suscipiatur: *prodesse tamen incipit*, ait Augustinus, *quando Quis in Ecclesiæ unitate recipitur, aut deposita fictione, veraci confessionè purgatur*.

De Confirmatione.

I. Quam baptizati acceperunt in Baptismo, Fidem, & Gratiam, Confirmatione munire in iis solet Ecclesia. Ea autem non est, ut blaterant Novatores, nuda ac simplex Baptismi ceremonia, sed verum, & proprie dictum Sacramentum a Baptismo, ejusque ritu distinctum.

II. Licet Sacramentum hoc Chtistum ipsum, non vero Ecclesiam, ut veteres quidam Scholastici opinati sunt, habeat Auctorem, incertum est tamen, quo præcise tempore illud instituerit. Si aliqua inter plures adoptanda sit sententia, ea præ ceteris majorem habere videtur probabilitatis gradum, quæ Confirmationis institutionem ad illud tempus refert, quo Christus a mortuis redivivus cum suis Discipulis conversatus est.

III. Proxima, & adæquata Confirmationis materia, non in sola manus impositione, nec in sola Chrismatis unctione constituenda est, sed in utraque simul. Formam similiter hujus Sacramenti essentialem non in ea oratione reponendam censemus, quæ unctionem Chrismatis præcedit, sed iis in verbis, quæ unctionem illam comitantur, suntque apud Latinos: *Signo te signo Crucis, confirmo te &c.*

IV. Quamvis ab hac formula non minimum distare videatur, quæ apud Græcos in usu est in suis confirmandis Neophitis; eamque ob causam ab aliquibus insufficiens reputetur & invalida; sensu tamen a nostra nihil vel fere nihil differt: ut valida proinde ipsa quoque habenda est.

V. Ordinarius Confirmationis Minister jure Divino est solus Episcopus; ex dispensatione tamen potest etiam simplex Sacerdos Sacramentum hoc administrare. Ast nullo modo idem Confirmandi munus Diaconis, & inferioribus Clericis, multo minus Laicis jam confirmatis, extraordinaria legatione, committi posse, contra nonnullos Theologos defendimus.

VI. Ad Confirmationis subjectum quod attinet, omnes & soli Baptizati absque ullo ætatis discri-

discrimine unt Sacramenti hujus capaces. Præstat tamen juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam Infantibus illud differre, nisi gravis urgeat causa, donec ad rationis usum pervenerint.

VII. Præter duplicem, quem Confirmatio producit in Confirmatis effectum, gratiæ nimirum sanctificantis augumentum, & characteris impressionem, iisdem confert etiam speciale quoddam robur, quo tentationibus contra Fidem sive internis, sive externis resistere valeant, easque superare.

VIII. Quamvis Hæretici ad Catholicam redeuntes Ecclesiam reciperentur olim, vel Chrismatis unctione, vel impositione manuum; non erat tamen hic ritus repetitio Sacramenti Confirmationis, sed nuda & simplex Ecclesiæ ceremonia.

De Eucharistia.

I. CHristus Dominus pridie mortis suæ vere Judaicum Pascha cum Discipulis suis celebravit, eademque die, qua ceteri Judæi, idest in mense Nisan Luna XIV. exeunte.

II. Quod a Christo, cœna jam facta, institutum fuit Eucharistiæ Sacramentum, in Azimo potius quam in Fermentato dicendum est consecratum fuisse. Non ita vero in Consecratione usus est Christus azimo pane, ut hunc solum esse voluerit necessariam Sacramenti hujus materiam: ad substantiam quippe Sacramenti Eucharistici perinde est, sive panis azimus, sive fermentatus; & in utroque valida est Consecratio.

III. Quum in Latina Ecclesia institutio, adhibendi azimi panis ad Eucharistiæ confectionem assignari non possit; sed nec in Ecclesia Græca consecrandi in fermentato commonstrari origo, merito utriusque Ecclesiæ praxis antiquissima censetur. Illud unum ex vetustis, quæ supersunt, Ecclesiasticis mònumentis, licet tamquam certum colligere, Latinam Ecclesiam ante IX. sæculum, quo schisma Photianum contigit, in azymo: Græcos vero a VI. sæculo in fermentato, quasi proprio ritu consecrasse.

IV. Non sub unica tantum, sed sub duplici specie, panis nempe & vini Sacramentum hoc instituit Christus, & Apostolis, eorumque in Sacerdotali ordine successoribus conficiendum mandavit. Quemadmodum vero pro prima specie, solum determinavit triticeum panem; ita pro altera solum vinum de vite: Vinum autem consecrandum modica aqua temperari debet, non quidem ex Divino, sed ex Ecclesiastico tantum præcepto.

V. Verba, quibus Eucharistiam consecravit Christus, jussitque consecrari, hæc sunt essentialia, eademque formæ rationem habent. *Hoc est Corpus meum*. *Hic est calix Sanguinis mei*. Preces autem, quæ in Liturgiis vel præcedunt, vel subsequuntur laudata verba, sunt quidem necessaria necessitate præcepti, non tamen necessitate Sacramenti.

VI. Ex hujus Sacramenti promissione Joan. 6., ex ipsis Consecrationis verbis, ex perpetua Ecclesiæ traditione, ex aliis insuper momentis invicte contra Novatores deducitur panem in Christi Corpus, vinum in ejus Sanguinem ea mutatione converti, quam Ecclesia apto satis vocabulo Transubstantiationem voluit appellari. An non itaque delirare dicendi sunt Calviniani, qui realis præsentiæ Christi in Eucharistia doctrinam Paschasio Ratberto Corbejensi IX. sæculo Abbati adscribendam volunt?

VII. Hæc ipsa realis Christi præsentia in Sacramento Altaris non manet solum, quum actu sumitur Sacramentum; sed tamdiu perseverat, quamdiu panis, & vini species remanent incorruptæ. Merito igitur Ecclesia in Templis Eucharistiam asservat, solemniter circumgestat, eamdemque Latriæ cultu a Fidelibus jubet adorari.

VIII. Quæ verba instituto jam Sacramento Apostolis dixit Christus: *hoc facite in meam commemorationem*, ad Sacerdotes etiam in hac parte Apostolorum successores, imo ad eos solos

ſolos fuiſſe directa per aliorum excluſionem, qui Sacerdotali Ordine inſigniti non ſunt, univerſa ſemper intellexit Eccleſia. Quapropter Divino adverſantur juri Hæretici illi, qui Euchariſtiæ conficiendæ poteſtatem ad alios, præter Sacerdotes, præſumunt extendere. Soli etiam Sacerdotes ſunt ordinarii Euchariſtiæ diſpenſandæ Miniſtri; & quamvis hoc munus non ſemel Diaconis demandatum fuiſſe legamus; illud tamen non ex ordinaria, qua ipſi pollerent, poteſtate, ſed ex Eccleſiæ tantum delegatione, ejuſque indulgentia exercuerunt.

IX. Euchariſtiæ participatio, ut ut neceſſaria non ſit neceſſitate medii, eſt tamen ad ſpiritualem vitam fovendam, augendamque utiliſſima, imo vero ex Divino præcepto etiam neceſſaria. Prudenti igitur, ſapientique ducta conſilio præſcripſit Eccleſia, ut omnes utriuſque ſexus Fideles, quum ad annos diſcretionis pervenerint, ſaltem ſemel in anno intra Paſchales dies communicare teneantur.

X. Communio ſub utraque ſpecie ſimplicibus Laicis nec divina auctoritate conceſſa fuit, vel præſcripta, neque iis ad ſalutem neceſſaria eſt. Si ergo Laicis olim permiſit Eccleſia Euchariſtiam ſumere ſub utraque ſpecie, jure ſuo eſt uſa; ſed jure eodem uſa eſt, quum juſtis de cauſis facultatem hanc ipſis ſubtraxit.

XI. Dum Chriſtus Euchariſtiam inſtituit, ne dum Sacramentum, verum etiam novæ Legis Sacrificium inſtituit, quod impetratorium eſſe ac propitiatorium contendimus. Iſtud proinde in Eccleſia merito offertur tam pro Vivis, quam pro Defunctis, ut nempe iis omnibus proſit, pro quibus inſtitutum eſt. Hinc ſequitur pro Sanctis in Cœlo regnantibus Sacrificium hoc offerri non poſſe; in horum tamen memoriam, & honorem rite offerri illud poteſt.

XII. Hujus Sacrificii eſſentia in ſola utriuſque ſpeciei Conſecratione conſtituenda videtur, neque ad illius integritatem, & perfectionem pertinet, aut conducit adſtantium Communio; unde perperam hoc nomine Lutherani, & Calviniſtæ damnant, reprobantque privatas Miſſas, in quibus ſolus communicat Sacerdos.

De Pœnitentia.

I. Pœnitentia, quam ſecundam poſt naufragium tabulam vocant Sancti Patres, verum eſt, & proprie dictum novæ Legis Sacramentum a Baptiſmo ejuſque memoria diſtinctum, lapſis abſolute neceſſarium ad ſalutem, quo a Chriſto facta eſt Eccleſiæ poteſtas quæcumque dimittendi peccata, ita ut nullum ſit crimen, quantumvis grave, quod per Eccleſiæ claves remitti non poſſit.

II. Tribus Pœnitentis actibus, hoc eſt Contritione, Confeſſione, & Satisfactione quaſi materia conſtat Pœnitentiæ Sacramentum. Contritio ſupernaturalis, quæ ſola ſufficit, & requiritur ad juſtificationem in Sacramento recipiendam dividitur in perfectam, & imperfectam. Perfecta etiam ante Sacramentum, hominem Deo reconciliat. Imperfecta, quæ attritio dicitur, & ea eſt, quæ ex Gehennæ metu, & turpitudinis peccati conſideratione concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, tantum abeſt, ut hominem hypocritam faciat, & magis peccatorem, quemadmodum blaſphemant hæretici, quin & bona eſt, & ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam diſponit, ut declaravit Concilium Tridentinum. Si tamen in ſolo timore ſervili ſe contineat, probabilius eſt non ſufficere ad juſtificationem in Pœnitentiæ Sacramento obtinendam, & ulterius requiri arbitramur quod adnexum habeat initialem Charitatis amorem.

III. Confeſſio lapſis poſt Baptiſmum neceſſaria eſt ad ſalutem, & jure divino præcepta. A primis Eccleſiæ ſæculis ad hæc uſque tempora ejus uſus apud Catholicos ſemper obtinuit, & falluntur Novatores dum dicunt Sacramentalem Confeſſionem, aut inſtitutam fuiſſe occaſione

Nova-

Novatianorum, & a Nectario Constantinopolitanæ Ecclesiæ Præsule abrogatam, aut in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. recenter invectam.

IV. Omnia, & singula lethalia peccata, quæ serio meditanti memoriæ occurrunt, debent in Sacramentali confessione enuntiari: aperienda etiam sunt lethalia dubia, necnon manifestandæ circumstantiæ intra eamdem speciem notabiliter aggravantes. Explorata res est, post Decretum Clementis VIII. non licere per epistolas, aut internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere: an autem, spectata rei natura, Confessio hoc modo instituta valida sit, ut minimum valde dubium est, & incertum.

V. Plerumque dimissa culpa, temporales pœnæ luendæ supersunt, ad quas redimendas, sicuti etiam in peccatorum vindictam, ad satisfaciendum Deo, atque ad compensandas injurias ipsi per peccatum illatas, potest, ac debet Sacerdos confessis satisfactorias pœnas injungere; & his etiam de causis pœnalis satisfactio a pœnitentibus in Confessione exigitur, non tantumodo, ut asserunt Novatores, ad novæ vitæ custodiam, infirmitatis medicamentum, Ecclesiæ ædificationem, & aliorum exemplum.

VI. Auctoritate a Christo derivata Sacerdos per Sacramentalem Absolutionem vere, & proprie peccata relaxat, non unice dimissa esse declarat. Solis Sacerdotibus absolvendorum criminum facultas a Christo facta est, exclusis aliis inferioribus ministris, quibus nusquam permissum fuit in Ecclesia Sacramentalem absolutionem cuiquam impertiri: ut autem Sacerdotes hac auctoritate uti licite, & valide possint, non sufficit potestas Ordinis, sed insuper requiritur potestas jurisdictionis ordinaria, vel delegata.

VII. In mortis articulo Absolutionis beneficio illi etiam infirmi donandi sunt, qui graviori morbo correpti, inchoatam peccatorum Confessionem absolvere non valent, vel qui loquendi facultate orbati aliqua pęnitentiæ signa dederunt: iis vero, qui inopinato casu oppressi sensuum usu privantur, quin ullum edere possint doloris indicium, sub conditione impertienda erit Absolutio, dummodo catholicam professi sint religionem, nec impænitentes appareant, aut in ipso criminis actu loquelæ, & sensuum usu fuerint destituti.

De Satisfactione imposita Pœnitentibus juxta priscam Ecclesiæ Disciplinam.

I. AB Ecclesiæ exordiis usque ad Montani ævum mitior, & brevior fuit pænitentia, quæ graviorum criminum reis imponebatur. Invaluit quidem Ecclesiæ rigor ejusdem Montani tempore; nundum tamen præstitutum fuit tempus, & modus agendæ pęnitentiæ, sed id Episcoporum judicio, & prudentiæ permissum est. Severius in lapsos, post exortam Novatianorum hæresim, animadvertere cæpit Ecclesia; productior præfixus fuit pęnitentiæ terminus, & certa temporis spatia definita per varias classes & gradus evolvenda, Flentium scilicet, Audientium, Substratorum, & Consistentium.

II. Pluries quidem ante emensa hujusmodi spatia concessa fuit pænitentibus absolutio: at id nonnisi peculiaribus de causis factum fuit, ut urgente mortis periculo, imminente persecutione, timore ingruentis Schismatis, vel cum ex lapsorum reditu notabile aliquod bonum Ecclesiæ redundabat, aliisque similibus in circumstantiis: ordinaria enim lege, post exactam tantumodo juxta Canonum præscripta satisfactionem, Sacramentalis absolutio conferri consuevit.

III. Non omnia lethalia peccata, sed canonica dumtaxat publicæ pęnitentiæ legibus subdita fuere: an vero hæc eadem peccata tunc solum publica pænitentia plecterentur, quando publice patrata essent, ad Judicem Ecclesiasticum delata, atque juridice probata, non item quando mansissent occulta, diffident eruditi. Nostra sententia est sex prioribus sæculis peccata canoni-

noni-

nonica etiam occulta eidem pœnitentiæ fuisse subjecta, sed diverso modo: primo equidem pænitentia occultis eorum criminum reis secreto a Sacerdote imponebatur, qua perfuncti secreto etiam a Sacerdote reconciliabantur: deinde si pænitentes eam suscipere recusassent, Sacris Mysteriis publice interdici non poterant, quemadmodum interdicebantur peccatores publici. Demum a publica pænitentia eximebantur qui eam absque famæ jactura, vel vitæ periculo implere non poterant. Hæc vero consuetudo imponendi pænitentiam publicam pro peccatis occultis septimo sæculo exolevit.

IV. Clerici minores, tam ante, quam post quartum sæculum, solemnis pænitentiæ legibus obnoxii fuerunt. Quoad Clericos majores, tribus prioribns sæculis, varius fuit circa id in diversis Ecclesiis usus: tertio vero exacto sæculo a publica pænitentia peragenda immunes facti sunt.

V. Quantum ad hæreticos ad Ecclesiæ gremium revertentes, non eadem semper viguit disciplina. Prioribus sæculis omnes ad pænitentiam, & Exomologesim publicam adigebantur; quarto & sequentibus sæculis illi solum, qui intra Ecclesiam baptizati sponte in hæresim declinassent: ceteri autem extra Ecclesiam baptizati, communi lege absque hujusmodi pænitentia admittebantur.

VI. Unica tantum vice, si crimen hæreseos excipiatur, olim in Ecclesia, lapsis publicæ penitentiæ locus concedebatur: non proinde tamen illis, qui absolutis semel pænitentiæ publicæ laboribus, iisdem, vel gravioribus criminibus se inquinaverant, veniæ obtinendæ spes omnino præcludebatur; sed toto vitæ suæ tempore a Dominicæ mensæ convivio segregati, secreta pænitentia puniebantur, in fine veniam, & Communionem accepturi.

VII. Etsi aliquandiu eo disciplinæ rigor alicubi adductus fuerit, ut mæchis absolutio recusaretur; in illustrioribus tamen tam Occidentis, quam Orientis Ecclesiis, nunquam sanis pænitentia functis Sacramentalis absolutio denegata fuit; multo minus infirmis in ultimo vitæ discrimine constitutis, quoties eam postulabant.

De Extrema Unctione.

I. EXtrema Unctio, sic dicta, quod inter unctiones in Ecclesia usurpari solitas extrema fit, eaque ad postremam adversus Dæmones luctam roborentur Fideles, verum est, ac proprium Sacramentum a Christo institutum, & a Beato Jacobo Apostolo promulgatum. Merito proinde Tridentina Synodus anathema intorsit adversus eos, qui id inficias iverint, & Extremam Unctionem vel ritum tantum acceptum a Patribus, vel humanum inventum auserint appellare.

II. Nusquam Diaconis, multo minus aliis inferioribus Clericis permissum fuit in Ecclesia Extremæ Unctionis Sacramentum alicui conferre; & dogma fidei est solis Sacerdotibus quos Presbyterorum vocabulo designat Beatus Jacobus in sua epistola cap.5. v. 14. tanquam propriis Extremæ Unctionis ministris id esse reservatum.

III. Quamquam ad inungendos infirmos, quemadmodum nunc in Ecclesia Græca, ita olim in Latina, juxta variam disciplinam plures Sacerdotes advocarentur: hoc tamen non obstat, quominus ab uno tantum Sacerdote Extrema Unctio conferri legitime queat. Ut autem Sacramentum validum sit, debet idem Sacerdos, qui unctionem peragendo materiam applicat, formam correspondentem enuntiare.

IV. Remota Extremæ Unctionis materia est oleum, non aliunde, quam ex olearum baccis expressum: an autem, saltem mediate, debeat esse ab Episcopo benedictum non solum ex præcepto, sed etiam ex necessitate Sacramenti, valde dubia res est, & inter Theologos controversa. Nobis pars affirmans probabilior videtur; & pro praxi secundum, quod inter Monita, ad hujus Sacramenti administrationem S. Carolus proposuit, servandum exhibemus, nimirum

quod,,

quod „ Parochus, si per errorem aliud oleum, quam quod infirmorum est ad ægrotum ungendum unquam adhibuerit, etiam si Chrismatis, aut Catechumenorum sit, ut erratum emendet, Olei Sacri, quod proprium infirmorum est, unctionem eidem adhibeat, tuncque Sacramenti formam iteret „ Materia proxima est olei applicatio, sive inunctio.

V. Diversa circa partes corporis Sacro Oleo liniendas obtinuit olim Disciplina. Septenarium unctionum numerum, nunc recte Romana præscribit Ecclesia: multiplex autem hæc unctio adhibenda quidem est pro tempore, & loco ex ejusdem Ecclesiæ præcepto, non tamen ad Sacramenti essentiam pertinet, & validum est Sacramentum unica tantum unctione sub universali forma collatum. Sive vero una, sive plures adhibeantur unctiones, aptam respective adhibendo formam unicum semper æquo modo Sacramentum exurgit.

V. Aliqua verborum formula in Extremæ Unctionis Sacramento adhibenda est. Secura est, & alia quacumque convenientior forma deprecatoria, non tamen ita necessaria, ut non consistat Sacramentum etiamsi indicativa, sive absoluta usurpetur.

VI. Soli baptizati, iique adulti graviori & periculoso morbo laborantes sunt idoneum Extremæ Unctionis subjectum. Piaculum est hujus Sacramenti susceptionem negligere „ Res etenim hæc „ (ut ait Tridentinum sess. 14. & nos post ipsum contra Lutheranos, & Calvinistas defendimus) gratia est Spiritus S., cujus unctio delicta si quæ sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ gratiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incomoda, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, uti saluti animæ expedierit, consequitur. „

De Ordine.

I. ERrant Novatores dum Ordinem Sacrum e Sacramentorum albo expungunt: equidem, & verum esse Sacramentum a Christo institutum, & Ecclesiasticam Hierarchiam divino jure a laicali statu secerni tam ex Scripturis, quam ex Traditione luculentissime constat.

II. Septem a primis sæculis in Ecclesia Latina Ordines fuerunt Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Clericalis tonsura obtinuit quidem in Ecclesia ab ipsa Apostolorum ætate: non est tamen verus Ordo. Subdiaconatus, & alii primi quatuor Ordines, si in origine considerentur divinæ sunt institutionis, eaque ratione Sacramenta appellari possunt. Diaconatus vero, & Præsbyteratus, etiam per se spectati veri Sacramenti rationem habent.

III. Episcopatui nihil deest eorum, quæ ad speciale Sacramentum constituendum requiruntur: quare hunc quoque verum Sacramentum esse dicimus a Sacerdotio natura, & charactere distinctum, quo qui insigniti fuerint, jure Divino, Præsbyteris, aliisque inferioribus Clericis dignitate, & potestate supereminent.

IV. De materia, & forma Ordinum Hierachicorum, Diaconatus nempe, Præsbyteratus, & Episcopatus, variæ sunt, eæque dissidentes Theologorum sententiæ. Nos illorum opinionem tuendam suscipimus, qui asserunt essentialem istorum Sacramentorum materiam in manuum impositione consistere, & formam essentialem esse orationem eidem adnexam; porrectionem vero instrumentorum, cum verbis adjunctis, quæ rite a Latina Ecclesia usurpantur, nihil aliud esse quam ejusdem materiæ & formæ ampliationem. Hinc reiicimus sistema Harduini asserentis geminam, & disparem materiam, & formam pro Diaconatu, & Præsbyteratu a Christo institutam esse, aliam quidem ad usum Occidentalium Ecclesiarum, aliam vero ad usum Orientalium.

V. Ordinario jure ad Episcopos tanquam supremos Ecclesiæ Præpositos, & Rectores pertinere inferiorum Ministrorum electionem, & inaugurationem, a nemine Theologorum in contro-

tro-

troversiam vocatur. Extra dubium pariter est posse Præsbyteros ex Apostolicæ Sedis privilegio minores Ordines legitime conferre. An autem eadem facultas Præsbyteris concedi possit quoad Subdiaconatum, Diaconatum, & Præsbyteratum, quæstio est, quæ in utramque partem agitatur. De Præsbyteratu communior Theologorum sententia, cui nos adhæremus, negativam partem tuetur. Quantum vero ad Subdiaconatum, & Diaconatum, horum Ordinum, conferendorum facultatem, ex Summi Pontificis dispensatione Præsbyteris nedum fieri posse, verum & factam fuisse asseveramus, atque tanquam genuinum, & validum vindicamus Privilegium ab Innocentio VIII. collatum anno 1489. v. Idus Aprilis Joanni Abbati Cistercii Diœcesis Cabillonensis, & Abbatibus quatuor Monasteriorum quæ „ post hæc, & immediate per dictum Monasterium fundata erant, ne Monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Subdiaconatus, & Diaconatus Ordinibus extra Claustrum hinc inde discurrere cogantur, ut suorum Monasteriorum prædictorum Religiosis, quos ad id idoneos repererint, Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines rite conferre valeant. „

VI. Veteri lege cautum est, ut Episcopus nonnisi a tribus, aut saltem duobus Episcopis consecretur: hæc tamen plurium Episcoporum præsentia, juxta priscam consuetudinem ad ritus solemnitatem, & honorem Pontificatus utique servanda, non adeo necessaria est, ut ad Sacramenti valorem requiratur; & urgente necessitate, ex Apostolicæ Sedis dispensatione ab uno tantum Episcopo Electus ordinari licite, ac valide potest.

VII. Ordinationes a flagitiosis quibuslibet hominibus, dummodo penitus inviti, & reluctantes non fuerint, susceptæ; ab Episcopis qualibet censura innodatis, aut crimine pollutis, dummodo rite consecrati fuerint, collatæ, validæ sunt quoad substantiam, & characterem impressum, si aliunde ea serventur, quæ ad essentiam Sacramenti pertinent.

VIII. Quidquid sit de Anglorum Ordinationibus ex parte Parkeri, & Barlovii, de quo hic quæstionem movere non intendimus, certum est Ordinationes ab Anglis juxta rituale Eduardi VI. institutas, defectu eorum quæ essentialia attingunt, irritas esse, & nullas.

IX. Solus homo baptismo initiatus esse potest idoneum Sacræ Ordinationis subjectum per exclusionem fæminarum, quibus nonnisi contra Scripturarum auctoritatem, derivatam ab Apostolis traditionem, & constantem Ecclesiæ praxim Sacra committere veriti non sunt Pepuziani, Collyridiani, aliique vetustiorum temporum Hæretici. Nec quidquam in contrarium probat antiqua Diaconissarum institutio: licet enim Ecclesiastico ritu fæminæ aliquot ad peculiaria circa mulieres obeunda munia deputarentur; nulla tamen eis conferebatur in Ecclesia potestas, & adhuc in laicorum numero computabantur. Quæ vero a Pseudoreformatis referuntur de Pontificatu Joannæ, puram putamque fabulam redolent.

X. Sacram Ordinationem infantibus rationis usum nundum adeptis, sicuti & mente captis collatam illicitam fore consentiunt omnes; validam esse quoad substantiam, & characterem ambigunt nonnulli, plures negant: verum talia non sunt momenta, quæ pro istorum opinione proferuntur, ut ab aliorum sententia, qui pro hujusmodi Ordinationum validitate pugnant recedendum putemus.

XI. A primis sæculis obtinuit quidem in Ecclesia Chorepiscopatus; nunquam tamen pro Sacramento, aut vero Ordine, qui Præsbyteratum inter, & Episcopatum mediaret, habitus fuit; sed merum erat officium, ad quod deputabantur Præsbyteri, qui in subsidium Episcoporum Pagis, & Oppidis præficiebantur, ut pro eorumdem Episcoporum nutu certa obirent munia, quæ sui Ordinis potestatem non excederent: unde qui ad id assumebatur χωρεπίσκοπος, quasi τῆς χώρας ὁ ἐπίσκοπος appellari consuevit. Hæc tamen non vetant, quominus aliqui extiterint Chorepiscopi, qui veri fuerint Episcopi: equidem quamvis ex communi consuetudine Præsbyteris tantum Chorepiscopale munus committeretur, quandoque tamen peculiaribus de caussis, ac veluti per accidens Episcopi etiam ad id eligebantur.

XII. Inverecundius in legem Cælibatus Sacris Ministris impositam invehuntur Novatores, & in Latinam Ecclesiam dicterias inde, & calumnias evomunt: etenim etiamsi jure divino præ-

præcepta non sit, æquissima tamen est, antiquissima, & tam in Sacris litteris, quam in Apostolorum exemplo certum habet fundamentum. Nec quidquam subsidii in sui erroris favorem trahere possunt ex Græcorum, & Orientalium auctoritate: sicuti enim errant dum hanc in aliis quæstionibus arroganti supercilio contemnunt; ita & falluntur, ac imponunt, dum eadem hac in parte pessime abutuntur.

De Matrimonio.

I. MAtrimonium, quod a prima Mundi conditione divinitus fuit institutum, ita contra Manichæos, Encratitas, aliosque hujus furfuris Hæreticos, per se licitum, & honestum esse defendimus, ut identidem eorum execremur errorem, qui cum Joviniano Nuptias, etiam pro tempore Evangelicæ Legis, Cælibatui anteponendas, vel æquandas contendunt. Præceptum vero de Matrimonio ineundo, quod etiam num sub aliquo respectu vigere existimamus, cum solam hominum communitatem generatim sumptam afficiat, neminem vero in particulari nunc obliget, ita illorum confodit insaniam, ut istorum blasphemiæ nullatenus patrocinetur.

II. Etsi tam in Lege naturæ, quam in Lege scripta Matrimonium præsignaverit futuram Christi cum Ecclesia conjunctionem tam physicam per Incarnationem, quam moralem per gratiam; vim tamen non habuit gratiam producendi ex opere operato: hanc quippe in Lege nova solum obtinuit, in qua a Christo ad veri, & proprie dicti Sacramenti dignitatem evectum fuit, quod tunc probabilius contigisse dicimus, quando idem Christus in Cana Gallileæ Nuptiis interfuit, eisdemque benedixit.

III. Consensus carnalis commercii ad invicem exigendi, comes est non effector Conjugii, ut ait Hugo Victorinus; & verum, ac legitimum inter S. Joseph, & Beatam Virginem intercessit Matrimonium, licet cum consensu conjugali manserit Virginitatis propositum. Multo minus ad essentiam Matrimonii spectat actualis corporum conjunctio.

IV. Non simulato, sed vero dumtaxat, & interno consensu per idonea signa manifestato perficitur conjugale fœdus. Hic autem consensus ab absentibus etiam per Procuratorem præstari potest, quo præstito ratum, & validum est Matrimonium in ratione contractus, & probabilius etiam in ratione Sacramenti.

V. Graviter quidem peccant Filii familias, qui inconsultis Parentibus, iisdemque invitis, absque legitima causa, Matrimonia contrahunt: Noxia pariter sunt & vetita Matrimonia Orthodoxorum cum Acatholicis instituta; pro utroque tamen casu, si aliunde non desint requisitæ conditiones, semel inita tenent.

V. Clandestina conjugia semper improbavit Christi Ecclesia; vera tamen fuere Matrimonia, quandiu a Tridentino Concilio nulla & irrita sunt declarata; unde post Tridentini decreta non solum illicita sunt, sed etiam nulla. Perperam vero Calvinus & Lutherus causantur Ecclesiam in hoc, sicuti & in aliis impedimentis statuendis propriæ auctoritatis limites excessisse; equidem potestatem hanc, veluti hæreditario jure Ecclesiam a Christo accepisse, omnium ætatum Traditio probat. Ita autem Ecclesiæ propria est hujusmodi potestas, ut quamvis circa Matrimonium, quod Sacramentum non est, sed contractus mere civilis, ut sunt Matrimonia Infidelium, possint Magistratus, & sæculares Principes impedimenta statuere, & causas assumere; ubicumque tamen Sacramenti dignitatem obtinuit, id ei soli competat.

VI. Circa materiam, & formam Matrimonii illorum sententiam ut vero similiorem amplectimur, qui ajunt contrahentium corpora, seu conjuges quibus nullum impedimentum, saltem dirimens contrahendi potestatem ademerit, esse ipsius materiam: formam vero esse verba legitima, idest legibus consonantia, vel loco verborum nutus, & signa quibus contrahentium assensus exprimatur, & innotescat.

VII.Quam-

VII. Quamvis, ut probabilius opinamur, in Lege veteri Matrimonii dissolutio per Libellum repudii, non tantum in Judæis tolerata fuerit, sed etiam dispensante Deo permissa, tamen in Lege Evangelica, Matrimonio semel contracto nemini licet quacumque de causa, ne excepto quidem compartis adulterio, privata auctoritate priorem uxorem dimittere, & aliam ducere, & tam arcto nexu uterque contrahentium obligatur, ut nonnisi per Monasticam alterutrius professionem in approbata Religione ab ipsis dissolvi possit; atque id solum pro casu, quo Matrimonium ratum dumtaxat fuerit, & nundum consummatum.

VIII. Indissolubile quidem manet nuptiale fœdus postquam conjuges facti sunt una caro; fas tamen est, & pluries expedit, intacto conjugii vinculo, & Ecclesiastica intercedente auctoritate, justa de causa, divortia instituere; ac nonnisi per summam audaciam Hæretici errori vertunt Ecclesiæ, quod ob plures causas divortia, sive separationem tam quoad thorum, quam quoad habitationem, inter conjuges ad certum, incertumve tempus fieri posse decernat.

IX. Turpissimum scelus est, & naturali juri contrarium Polygamia virilis simultanea. Polygamia simultanea Uxorum permissa quidem fuit veteribus Patriarchis: at ex quo Christus in novo Fœdere, revocato ad primævam originem Matrimonio eam abrogavit, illicita facta est. Secus res se habet de Polygamia successiva; licet enim tanquam quid perfectius cum Apostolo suadeat Ecclesia viduis ut sic permaneant; eam tamen nusquam reprobavit, & liberum semper fuit conjugatis, ubi alteruter supremum diem obierit, ad secundas, tertias, quartas, & ulteriores nuptias convolare.



IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Palatii Apoſt. Magiſt.

Dom. Arrchiepiſcop. Nicom. Viceſg.



IMPRIMATUR

Fr. Thom. Auguſtin. Ricchinius Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſt. Magiſt.

